



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio I. In Titulum I. De Judiciis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

non tantum tunc, quando agitur contra obligatum ad eas solvendas; sed etiam, cum duæ Ecclesiæ litigant de illarum proprietate, seu jure illas percipiendi; *gloss. cit. V. decimis.* Not. 3. ad causas matrimoniales pertinere, cum agitur de matrimonio impediendo. vel dirimendo; non autem quando de crimine adulterii ad separationem thori; *gloss. cit. V. matrimonium.* Not. 4. causam, seu questionem *usurariam* hic dici, cum Actor petit sibi ab Usurario restitui usuras, licet Reus neget, *gloss. cit. V. usuris.* Not. 5. in prædictis causis licere uti non tantum proces-

su summario, sed etiam ordinario, etiam partibus in vitis, prout expedire videbitur; præsertim cum ordinarius tutior sit; *gloss. cit. V. valeat.* Not. 6. quod, præter Papam, nullus Judex inferior possit causam cognoscere, vel committere cognoscendam *summarie* nisi in casibus supra expressis; quia nequit immutare constitutionem Juris Canonici; Durandus *in specul. l. 1. tit. de legato. §. superest, n. 7.* Not. 7. alios casus, in quibus summarie procedi potest, & debet, haberi in Extravag. *Frequentes, unic.* inter communes; de Judiciis.

QVÆSTIO II.

IN TITUL. II. DE FORO COMPETENTE.

241. **Q**UAMVIS *forum*, primavâ institutione, significet locum publicum, ad quem res venales deferuntur; hic tamen accipitur pro loco exercendorum judiciorum, seu sede jurisdictionis: Dicitur in genere neutro, & masculino; in primo genere significat territorium, de quo in L. *Pupillus, §. territorium. ff. de verb. signif.* *Foras* in genere masculino accipitur pro loco judicii, scilicet ubi jus redditur à Judice, c. *forus, de verb. signif.* Juxta Hostiens. in rubro, de foro compet. sumitur pro judicio, jurisdictione & potestate. Unde idem est dicere *de foro competente*, ac *de jurisdictione, seu judicio competente*: similiter dicere: *hac persona pertinet ad forum Ecclesiasticum, vel seculare*, idem est, ac dicere: *ad jurisdictionem spirituales, vel temporales.* Hinc casus *mixti fori* ita appellantur, quia ad utramque pertinent potestatem. Dividitur in *Ecclesiasticum & seculare*: quia duplex tantum est potentia publica, quâ genus humanum regitur: spiritualis & temporalis, c. *solita*: de major. & obediens. Apud Suarez, de leg. l. 3. c. 21. n. 2. dividitur *forum* in *externum, & internum*; *forum externum* (quod alio nomine appellatur *forum fori*) est judicium, in quo tractantur causæ in ordine ad externam reipublicæ sive Ecclesiasticæ, sive laicæ administrationem. *Forum internum* (quod alio nomine vocatur *forum poli* à S. Augustino c. ult. 17. q. 4. seu *forum conscientia*, est) quod intus

Tom. II.

in mente hominis, ubi conscientia residet, exercetur. Est adhuc ex doctrina Suarii de leg. l. 8. c. 6. n. 16. & Parlad. D. 12. §. 2. (ubi latissime de discrimine inter *forum fori, & forum poli*) *forum internum* duplex, alterum dicitur *forum penitentia*, in quo per sacramentum penitentia tollitur vinculum peccati absolutione sacramentali: alterum *non penitentia*, in quo extra illud sacramentum tollitur aliquod vinculum morale, v. g. censura per absolutionem: his præmissis:

ARTICULUS I.

Quodnam *forum, vel Judex* dicatur *competens, vel incompetens?*

242. **J**UDEX *competens*, de quo passim in jure præsertim L. *penult. C. de jurisd. omni. judicium & L. 2. ff. Si quis in jus vocat*: idem est ac is, ad cujus jurisdictionem immediate pertinet cognitio causæ, propter quam quis in jus vocatur; sic Zoësius *h. t. n. 2.* ex opposito *Judex incompetens* est, ad cujus jurisdictionem ea causa non spectat; de quo V. Azor p. 3. l. 13. c. 15. dixi: ad quem pertinet cognitio causæ *immediate*; nam proximo Judice omisso, non rectè trahitur Reus ad ulteriorem. Sic Archiepiscopus non est *Judex competens pro prima instantia* subditorum sui Suffraganei, c. 1. de foro compet. in 6. excipe Pontificem. Nam ad hunc immediate, & in prima instantia

quis



(o)

TRACTATUS

IN

LIBRUM SECUNDUM DECRETALIUM.

Cum libro primo actum sit de Ecclesiasticis Prælatiſ, modoque acquirendi Eccleſiaſticam poteſtatem; ac Judiciſ, eorũque officio, & poteſtate, atque nonnulliſ præparatoriſ Judiciorũ: altero libro rectè agitur de iſiſ Judiciſ, ſeu toto ordine, ac proceſſu judiciorũ, qui principio, medio, & fine conſtat. *Principium* continet omnia acta à citatione uſque ad litiſ conteſtationem incluſivè: ut oblationem libelli, reconventionem, ſatiſdationem, exceptionem, &c. *Medium* poſitiones, reſponſiones, & probationes, alioſque actus à litiſ conteſtatione excluſivè uſque ad concluſionem in cauſa: *Finis* conſiſtit in ſententia definitiva, ejuſque executione. Licet autem citatio, & libelli oblatio ſint quædam præparatoria judiciſ, cum præcedant litiſ conteſtationem, à qua propriè, & ſtrictè incipit judiciũ; tamen non ab illiſ, ſed à titulo *de judiciſ* liber hic initium ſumit, quia judiciſ, ſaltem latè ſumpti, pro toto proceſſu judiciario, ſunt parteſ integrantes.

QUÆSTIO I.

IN TITULUM I. DE JUDICIIS.

Judiciũ ut rectè exponit Leſſius *L. 2. de Juſtit. c. 29. dub. 1.* duobuſ modis accipitur: primò *generaliter* pro animi ſententia vera, vel falſa, prout contradiftinguitur à ſimplici apprehenſione; ſecundò *ſpecialiter*, & *ſtrictè* pro juris determinatione, facta per Judicem; ſeu pro ſententia Judiciſ, exteriùſ prolata, quã definit in controverſiſ, quid cuique debitum ſit; ſic enim propriè dicitur *judiciũ* quaſi *jurisdictione*. Extenditur tamen ad ſignificandum totum illum actum, & cauſæ diſcuſſionem, quæ in tribunalibuſ fieri ſolet, per quam Judex diſponitur, ut juſtam ſententiam ferat.

quitur Sylveſter V. *Judiciũ q. 2.* volens illud principaliter eſſe duplex, nimirum *ordinarium*, quod ordinariè ſit coram Judice ordinario; & *extraordinarium*, quod ordinario modo non ſit, ſed tale dicitur 1. ſi ſit coram delegato; 2. quando non proceditur in figura Judiciſ; ſed ex judiciſ officio, per modum inquiſitioniſ, vel denuntiationiſ; 3. quando abſque judiciari ſtrepitu ſimpliciter, & de plano; 4. quando Judex Eccleſiaſticuſ cognoscit de temporalibuſ rebuſ laicorum ratione peccati annexi.

Alia judiciorũ diſiſio ſumitur 1. *ex diverſitate judicantium*, ita, ut illud, cui præeſt Judex Eccleſiaſticuſ, dicatur *Judiciũ Eccleſiaſticuſ*, & *ſeculare*, cui ſeculariſ. Eccleſiaſticuſ ſubdividitur in *Judiciũ Eccleſiaſticuſ Spirituale*, quando liſ, & cauſa eſt Spiritualiſ (puta de *matrimonio*, *decimiſ*, *beneficiſ*) vel rei Spiritualiſ

ARTICULUS I.

Quotuplex ſit judiciũ.

Multiplex eſt judiciũ; cujuſ tamen multiplicitatem pauciſ clare profeſſor.

Tom. II.

A

tuali annexa, uti est dos, &c. & *Temporale*, quando lis movetur de re temporali, & profana v. g. de fundo, pecunia, &c. intellige tamen, si inter personas Ecclesiasticas. Secundò à *diversitate materiae*. Hinc aliud est *petitorium*, in quo movetur quæstio de proprietate rei, vel dominio, aut quasi dominio, ad quem ea pertineat? aliud *possessorium*, in quo movetur quæstio de rei possessione, vel adipiscenda, vel retinenda, vel recuperanda. Tertio à *diversitate formæ*, secundùm quam proceditur. Hinc aliud est *judicium ordinarium*, seu plenum, & solemne, ubi scilicet servantur solemnitates ad *judicium spectantes*, & de jure requisitæ v. g. citatio, libelli oblatio, litis contestatio, juramentum calumniæ; aliud *summarium*, seu extraordinarium, ubi proceditur inspectâ solum rei veritate, ommissis ambagibus, & ordinariis solemnitatibus Juris. Quarto à *diversitate finis* in *judicio quæsti*. Hinc aliud est *civile*, in quo agitur de causa civili v. g. de fundo, mutuo, emptione, &c. aliud *criminale* in quo agitur de delictis, furto, blasphemia, &c.

5. Verùm hic notandum, dupliciter in *judicio* agi posse de delicto aliquo, vel *crimine*, nimirum vel *criminaliter*, vel *civiliter*. Nam quando agitur ad vindictam publicam, seu eo fine, ut Reo infligatur pœna corporalis, vel pecuniaria fisco applicanda, aliis in exemplum, & terrorem, dicitur agi de crimine *criminaliter*; si autem solum ad pœnam applicandam privato, seu satisfaciendum injustè læso, agi dicitur de crimine *civiliter*. Nam non omnis quæstio de crimine, quæ alicui movetur in *judicio*, eo ipso est *criminalis*, ut constat ex c. *super his*, 16. de *accusationibus*, ubi Pontifex dicit, si alicui post confirmationem, ubi confirmatus promovendus fuerit, vel consecrandus, per exceptionem crimen objicitur, excipientem arbitrio *Judicis* esse adstringendum, non ad inscriptionem, sed ad pœnam extraordinariam, si defecerit in probando; pro eo autem, quòd crimine sic probato, perdit quidem, quod per electionem, vel confirmationem ei fuerat acquisitum, sed ob hoc prius habitum non amittit: rationem reddit: licet enim agatur de crimine, non est tamen hujusmodi quæstio *criminalis*. Unde per *Procuratorem* potest ritè tracta-

ri, quod intelligit Barbofa ibid. n. 5. in casu quo discutitur de crimine per modum exceptionis. Unde etiam Percyra in *Elucidario*, n. 1191. ait: *criminaliter* agitur dici, quando quis publicam vindictam criminis exquirat, quæ tunc contingit, sive infligatur pœna corporis afflictiva; sive alia, etiam pecuniaria, dummodo fisco applicetur.

6. Præter hæc *judicium* varias subit denominationes: quædam enim dicuntur *judicia capitalia*, quibus scilicet caput eximitur à civitate, morte, vel exilio. §. *publicorum Institut. de public. judic.* quædam *publica*, quæ sunt de publicis causis, quia cuilibet de populo commissa est executio, ut in crimine læsæ Majestatis, in quo omnes de populo possunt accusare: & quandoque etiam *publica* dicuntur à crimine: quædam vocantur *privata*, quæ civiliter pertractantur: Civile autem *judicium* dicitur, quando tendit in commodum partis: *criminale*, quando ad commodum Reipublicæ, sive pœna fonti infligenda sit corporalis, sive pecuniaria: Cùm verò ad rectitudinem *Judicij* tria postulentur. 1. *certitudo* in cognitione causæ; 2. *Justitia* in ipso actu *Judicij*, nempe, ut servetur æqualitas in jure suo cuique reddendo, & *Judicetur* secundùm leges, servato, procedendi ordine: 3. ut detur *authoritas* in *Judicante*: defectu primi postulati evadit *judicium temerarium* (temerarium enim dici solet, quod de alicujus peccato, aliòve infami malo, ex levibus indiciis concipitur) defectu secundi postulati evadit *judicium iniquum*, & communiter vocatur *perversum*; defectu tertij, nempe potestatis, seu *authoritatis* in *Judicante*, appellatur *usurpatum*, & alio nomine *presumptum*.

7. Similiter juxta varietatem *causarum*, *Judicia* variè dicuntur: *Causam* aliqui sumunt pro negotio; aliqui, pro lite; alij volunt per *causam* intelligi, quæ continet materiam *Judiciorum* tam *capitalium*, quàm *civilium*; per *litem* autem, quæ civiles tantùm actiones; cæterùm *causa* propriissimè accipitur (ut colligitur ex L. *causas c. de Transact. & c. Forus, de V. S.*) pro hypothese, seu negotio, ex quo lis nata est. Unde *Ulpianus* in L. *Juris gentium*, §. *sed cum nulla*, ff. de *Pactis*, *causam* sumit pro titulo debiti, actioni, dominij, possessionis,

his. *L. Privilegia ff. de Privil. cred. causa* duplex est *civilis*, & *criminalis*; nam ad has aliæ reducuntur. *Civilis* est, in qua agitur civiliter, quando quis, quod suâ privatim interest, prosequitur: *criminalis*, in qua agitur criminaliter, nempe ad vindictam publicam: utraque vocari solet *judicialis*, utpote discussa in publico judicio, & dividitur in *Laicam*, & *Ecclesiasticam*: illa, ad forum, & Judicem laicum; hæc, ad forum, & Judicem Ecclesiasticum pertinet.

8. *Causa favorabiles* dicuntur, quæ continent favorem, & sunt quatuor juxta *cap. duobus de re judic.* scilicet de libertate, matrimonio, dote, & testamento. *Magna causa* videtur esse, quæ judicatur magni ponderis, & refertur inter graviores, quales sunt matrimonii, status, atque famæ, & omnes causæ criminales, hinc causæ majores dicuntur in *cap. 1. de Transl. Episc.* quæ reservatæ sunt Sedi Apostolicæ, suntque meri imperii. *Causa minima*, *Accursio* in §. *Illud etiam*, *Authent. de Appel.* dicitur, quæ minor est decem librarum auri. Dicerem (inquit Schardius V. eod.) quæ non excedit decem aureos. Alia præterea est *causa indicta*, hoc est *inauditâ*, ex qua quis nunquam damnatur, *L. 1. ff. de requir. Reis; liberalis*, in qua quæstio vertitur de libertate; *prolusoria*, seu *præjudicialis*; est autem *præjudicium*, quidquid prius judicatum sequentibus judiciis affert exemplum, *Fiducia*, quæ de mandato fiunt, & deposito; & damnato irrogant notam infamiæ; sicut & ea, quæ sunt societatis, & tutelæ. *Proprietatis*; cum quis petit rem purè, & simpliciter. Unde *agere petitorio* est in ordine ad proprietatem rei: *agere possessorio* in ordine ad possessionem. Juxta hanc causarum varietatem, judicium aliud est *possessorium*, aliud *petitorium*, aliud *liberale*: *prolusorium*, &c.

9. Quoniam autem in omni judicio tres saltem personæ intervenire solent, vel verè, vel fidè, ut notat Zoësius in hunc *tit. n. 1.* (nam fama præcedens quandoque repræsentat actorem c. *qualiter*, de accusat.) de singulis dicendum erit in sequentibus; quis autem sit Judex, & quale illius officium: exposuimus *l. 1. d. Tit. 30.* Cæterum *actor* in causis forensibus is est, qui agit, & vocat alium in jus, quippiam ab

Tit. II.

ipso petens in judicio. *L. in tribus ff. de judic.* Jurisconsultus in *L. Carbonianam. ff. ad Carbon. edict.* actorem appellat *petitorem*: Reum verò *possessorem*. *Petitor*, & *actor* differunt (ut ait Cujac. *obs. lib. 7. c. 26.*) nam *actor est*, qui agit in personam; *petitor*, qui agit in rem. Et quamvis *adjuutor* ponatur pro *scriniario* *L. nulli C. de num. & act. lib. 12.* tamen idem est, quod *actor*. *¶. fin. Instit. de Curat.* Hinc *Reus* dicitur à re, propter quam in judicium vocatur, & quæ ab illo petitur, & propriè est *is*, qui defendit, & propulsat *actionem*, contra, se intentatam. Hæc apud Juristas usurpatur multipliciter: ab Ulpian. *L. 3. §. ult. ff. de donat. int. jur. pro actu*; à Pomponio *l. 2. ff. de Orig. jur. pro certa formula*, & *conceptione verborum*; pro *tractatu*, & *assensu* *cap. 1. de major. & obed. pro toto illo*, quod agebatur unâ die in Synodo, *cap. 1. actione. 16. q. 3. pro accusatione* *l. 1. ff. crim. Stellion. pro libello*; & *scripta formula*, Alciat. in *L. edicta C. de eden.* Verùm *actio* in magis frequenti, & genuina acceptione sic definitur: est *jus persequendi*, hoc est legitima facultas, vel *authoritas*, permittens persequi, in *judicio*, *id quod sibi debetur*.

Not. autem 1. quòd etiam *actio*, *petitio*, & *persecutio*, subeant aliquale discrimen in *L. 18. §. 1. ff. de accept. apud Spieg. V. eod. ex L. actio ff. de act. & oblig. Actio*, quatenus attenditur speciale nomen, dicitur *in personam*; in rem, *petitio*, *in rem*, vel *personam*, *persecutio*. *Actio* autem in genere duplex est, sub qua reliquæ omnes continentur: nempe *actio in rem*, quæ dicitur *vindicatio*: & *actio in personam*, quæ *condictio* appellatur. *In rem* actio est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus, & semper adversus eum est, qui rem possidet: *in personam* actio est, quæ cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad aliquid faciendum, vel dandum, & semper adversus eum locum habet. Si attendamus ad species magis generales actionum: quædam actiones ex contractu, quædam ex facto, quædam in factum sunt. *Ex contractu actio est*, quoties quis sui lucri causâ cum aliquo contrahit, veluti emendo, vendendo, locando, conducendo; *ex facto* actio est, quoties ex eo teneri quis incipit, quod ipse admittit, vel *damnum dedit*: *in factum* actio dicitur

A 2

CITUS

4
 citur, qualis est, quæ datur Patrono ad-
 versus libertum, à quo contra edictum
 Prætoris vocatus est. Actionum species,
 quæ propter varietatem immensam nego-
 tiorum, diversitatem subeunt, commodis
 divisionibus ex quatuor rerum causis, nempe
 efficiente, materiali, formali, & finali,
 productis methodicè explicantur *Instit. de
 action. per totum.*

11. Ad ulteriorem terminorum frequenter
 occurrentium notitiam not. 2. licet plura
 sint, quæ de jure naturæ, ac positivo in
 judicii processu servanda sunt (quæ videri
 possunt apud D. Antoninum p. 3. tit. 9. c.
 16. & alios) interdum præcipi, ut Judex
 procedat simpliciter, & de plano, & sine
 figura, & strepitu Judicij, eaque verba in-
 terdum exprimi simul omnia, interdum
 autem seorsim; ut si dicatur tantum, *aga-
 tur simpliciter, & de plano.* Questio igitur
 est, quid per istos terminos importetur?

Resp. cum D. Anton. probatiores in hoc
 puncto auctores sequente, quod *procedere
 sine figura judicij*, est, non servare formam
 judicij inductam à Jure Civili; sed tantum
 illam, quæ de jure naturali, & gentium
 necessaria est, & idem est procedere sine
 ulla solemnitate juris. *Simpliciter proce-
 dere*, est procedere removendo dolosas, &
 malitiosas protelationes, & exceptiones,
 servando simplicitatem canonicam. *Sine
 strepitu judicij*, est procedere servatis tan-
 tum substantialibus, & removendo clamo-
 rosam garrulitatem partium, & Advocato-
 rum, & omnes cavillationes, & dila-
 tiones, & exceptiones frustratorias, & su-
 perfluam testium multitudinem, & remo-
 vendo alia, quæ licet debita sint, sunt ta-
 men accidentalia.

12. *De plano procedere*, dicunt aliqui esse
 idem, quod procedere sine strepitu judi-
 cij; ita, ut non teneatur Judex sedere pro
 tribunali, nec in foro, nec in loco publico
 judicare, nec servare alia, quæ sunt de le-
 vi solemnitate; alij dicunt, esse procedere
 cognoscendo, ac judicando veritatem sine
 solemnitatibus juris, & non servato stylo
 judiciorum D. Ant. 3. p. tit. 9. cap. 5. de
 quo etiam videri potest P. Benedictus Per-
 egra in *Elucidario* exponente universum
 Idioma, seu proprietatem sermonis Theo-
 logici, Canonici, & civilis numero *mar-
 ginali* 1179. continuato per totum opus.

13. Not. 3. Judicis officium esse duplex,

nobile, & mercenarium. *Nobile* (quod
 rectius dixeris merum officium) dixit
 Bartolus id esse, quod per se stat. explica-
 tius officium nobile est, quod Judex suâ,
 hoc est, jurisdictionis *authoritate* exercet,
 etiam si nulla proponatur actio, & inter-
 dum motu proprio, nemine petente; *Mer-
 cenarium* est, quod actioni deservit me-
 taphorâ ab obsequio famulitio ductâ. Sicut
 enim is, qui operam suam locat, libens
 quidem eam præstat, at non alio modo,
 quam Dominus præscribit, ita Judex actio-
 nibus in judicium perductis impertit offi-
 cium suum, ultrò quidem, sed non nisi ad
 normam actionis, eaque cessante, cessat L.
ediles §. item sciendum. ff. de edil. edit.
 Idem valet Suffragium Judicis, atque offi-
 cium Judicis. Vide Parlador *diff.* 34. Hinc
 patet modus loquendi frequens apud
 Theologos, & Juristas, *facere aliquid
 non tam jure actionis, quam implorato offi-
 cio Judicis.* Solum enim procedit de officio
 nobili, quod proximè exposuimus.

Not. 4. si causa aliqua postulare videa-
 tur, posse Judicem instituere etiam judi-
 cium ordinarium, tametsi absolute suffice-
 ret summarium, idque partibus etiam in-
 vitis; præterquam, si princeps causam dele-
 gârit adjecto mandato, *ut de plano proceda-
 tur*; tum enim partibus, aut alterâ tantum
 contradicente non potest Judex aliter pro-
 cedere; ita gl. in Clem. 2. v. *Valeat*, & cit.
 clem. *Sæpe*, verb. *Partibus. de Verb. signif.*

Not. 5. judicia summaria ex duplici 14
 causa solere institui. Prima, quando causæ
 petunt celerem expeditionem, ut sunt
 causæ beneficiales, decimales, matrimo-
 niales: uti videre est in cit. Clem. & apud
 Marantam p. 4. *dist.* 8. n. 42. Huc etiam
 spectat causa usurarum, propter odium
 usurarij, cit. Clem. item exceptiones, &
 causæ incidentes, summarie cognosci pos-
 sunt, teste gl. in c. *ult. verb. procedendum,
 ut lite non contestata, &c.* item lites mer-
 catorum, quæ ob frequentiam, & alias
 causas citò expediuntur teste Maranta *dist.*
 9. n. 48. causæ tributorum, alimentorum,
 dotis; item causæ naufragorum, paupe-
 rum, & miserabilium personarum, causæ
 mercedum; si agatur de tutore dando; fi-
 lio adoptando, aut emancipando; ut videre
 est apud Marantam n. 48. *spec. de jurisd.
 omnium Judicium, §. postremo.*

Secun-

Secunda est, si causæ sunt, in quibus agitur de modico, & facillè reparabili præjudicio; ut si agatur de solvendo debito non magno consideratâ personarum qualitate, vel instituuntur inter agrestes, & juris imperitos, per Auth. *nisi breves. C. de sententijs. L. levia, 5. ff. de accusat.* ubi Bartolus docet, quod in criminibus leyibus non sit necessaria solennitas judiciarij processus & hoc etiam procedit, si agatur judicio possessorio solùm præparatoriè ad judicium petitorium subsequens, ideoque de parvo, & facillè reparabili damno, uti videre est apud Farinacium *tract. de testib. lib. 2. tit. 6. q. 63. n. 33. Marantam cit. dist. 9. n. 43.*

Not. 6. Inter istos duos modos, procedendi summarie discrimen esse 1. quia in primo modo regulariter probatio plena requiritur, in secundo autem sufficit semiplena v. g. per unum testium, per Juramentum; ita Bartolus in *L. 1. §. quod si sit ff. de Prator. stipulationi* Clement. *sape de verb. signific.* 2. quod in secundo modo partibus præsentibus Judex per interrogationes causam communiter expediat, in primò autem positiones ex facti narratione formari, ac Reo tradi debeant; de quibus V. Marantam p. 1. *dist. 9. à n. 43.*

ARTICULUS II.

An quilibet in judicio agere, & convenire possit?

35. **R**egula generalis est, eos agere, & conveniri posse in judicio qui habent legitimam personam standi in judicio; qui autem eam non habent, illos à judicio arceri. Questio 1. est an pupilli habeant legitimam personam standi in judicijs sine Tutoris autoritate? Responsio est negativa ex *L. 1. C. qui legit person. standi & c.* Hinc pupillus actionem suam instituere debet, vel ipso tutore agente, vel agente pupillo autoritate Tutoris, *L. 1. & 2. ff. de administr. Tutor.* Ex iisdem principijs sequitur, minorem 25. annis, sine autoritate Curatoris, vel specialiter, vel generaliter pro eo constituti, non habere personam legitimam standi in judicio *L. 2. C. eodem & L. in Universis II. C. qui dare Tut. vel Curat. poss.* quod verum est in causis tam civilibus, quam criminalibus *L. clarum. C. de auctorit. præstand.*

Excipe 1. ut non procedat, si minor obtinuit veniam ætatis. *L. 2. C. de his, qui ven. ætatis L. 11. & ibid. glos. V. gratia C. qui dare Tut. & Curat.* Excipe 2. nisi pupillus, vel minor, intentet judicium possessorium, & agat de recuperanda, vel retinenda possessione *L. fin. junct. glos. V. per quemcunque, C. qui legit. person. standi.* Excipe 3. nisi minor 25. annis sit pubes, completis 14. annis, & agat in causis beneficiabilibus, & spiritualibus, & his connexis *c. se annum 3. & ult. de judicijs in 6. in defectu autem pubertatis, de autoritate Episcopi vel officialis ejus, deputandus est illi procurator ad eam causam; quem etiam deputare poterit delegatus Sedis Apostolicæ, vel ab ipso subdelegatus; intellige, si non habeat Curatorem, vel generalem, vel specialem; ita c. fin. §. si verò de Judicijs in 6.*

Et hoc etiam extenditur ad Laicum minorem, sed puberem; ut, si agat de causa patronatus, vel jure decimarum, &c. Hinc solus sine Curatore, vel ejus autoritate stare potest in judicio, ubi agitur de rebus spiritualibus, vel connexis; quia *c. finale de judicijs in 6.* loquitur de minore, sed pubere, non distinguendo, an sit Clericus, vel Laicus. Et ob hoc idem conceditur mulieri, minori, sed puberi, in causa matrimonij, *c. ex parte de testib. spoliat.* cum gl. V. *quamvis minor.* Si autem pupillus sit infans, hoc est, minor septennio, vel absens, tunc solus Tutor agendo, & defendendo, judicium suscipit. *L. 1. §. 2. in fine ff. de administr. Tut.* Et quamvis alius minoribus invitis ad negotia, & contractus, non detur Curator; ad lites tamen etiam invitis dandus est. *§. item invitis, Inst. de Curator:* sed adverte, curatellam hanc finiri finitâ lite *§. fin. Inst. de Auctor. Tut.* si verò sententia lata sit contra pupillum, vel minorem indefensum, & carentem Tutore, vel Curatore, nulla est. *L. acta. 45. L. contra 54. ff. de re judicata.* Si autem sit in favorem, valet. Nam *etiam minoribus in damnis subvenire, non in rebus prosperè gestis obesse consuevit L. non ed minus* (de procurat: Nam quod favore alicujus introductum est, non debet in ejus odium converti. *L. 6. C. de legibus.*

Ex dictis colliges, Clericum puberem ad agendum in causis spiritualibus censeri majorem; ita Pirhing *L. 2. decret. de Judic. n. 15.* deducitur ex *cit. c. nls. & c.*

constat ex *n. priori*, quod etiam censendum per ordinem ad causas spiritualibus annexas. Nam quod est jure dispositum in causa principali, censetur etiam dispositum in dependentibus, vel connexis cum illa; hæc enim velut accessoria assumunt naturam principalis. Hinc etiam minori sed puberi, conceditur posse agere, in iudicio in causis spiritualibus per procuratorem. Nam cui extra causas criminales licet agere per se, ei etiam licet in iudicio agere, vel respondere per procuratorem; Layman in *c. fin. h. t. in 6. n. 1.* Si autem Clericus minor. 25. annis, sed pubes, ex facultate sibi concessa agat in iudicio, ut dictum est, & succumbat, potest petere restitutionem in integrum. Quia minor in his, quæ agit ut minor, læsus restituitur; sic gloss. communiter recepta in *L. unic. C. si de moment. possess. V. reformationem.* Quia nimirum privilegium ipsi concessum alioquin redundaret in eius damnum.

7. Dices: impubes ex dispositione Papæ potest obtinere beneficium Ecclesiasticum, & de jure communi, modò inchoaverit 14. annum, licet non compleverit; ergo etiam sine curatore ad litem in causis beneficialibus potest stare in iudicio. Resp. N. conseq. quia ex eo, quòd Pontifex dispenset cum aliquo in ætate requisita ad acquiritendum beneficium, non censetur dispensasse in ætate requisita ad administrandum. Illud autem notandum, si impubes in causis beneficialibus, vel Ecclesiasticis litiget, Curatorem ad litem illi non à seculari, sed Ecclesiastico Iudice dandum esse, nimirum vel ab Episcopo proprio; vel loci Ordinario, vel ejus officialibus, aut Vicario Generali; gloss. in *c. ult. de iudic. in 6. V. ejusdem.* Unde in his causis ingerere se non debet ejus Tutor; quia sic in dato casu non agitur de rebus patrimonialibus. Et ideo etiam, si agitur de ingressu Religionis, vel de suscipiendo Clericatu alicujus habentis Tutorem, hic se non potest interponere in hac causa; sed minori, cujus causâ tunc agitur, à Iudice Ecclesiastico dandus Curator ad hanc causam, vel ab ipsomet cum autoritate Iudicis Ecclesiastici, procurator deputari potest, ex *c. ult. quod sic habet:*

Si annum quartum decimum tua peregristi atatis, in beneficialibus, & alijs cau-

sis spiritualibus, nec non & dependentibus ab eisdem, ac si major 25. annis existeres; ad agendum, & defendendum per te, vel per procuratorem (quem ad hoc constituendum decreveris) admitti debebis. Si verò intra 14. annum existas, per te agere, aut defendere non poteris super ipsis: sed vel per tuum Episcopum, vel per officialem ejusdem, tibi curator dabitur, ad lites hujusmodi exercendas, aut tu ipse si major infante fueris) cum autoritate alterius eorundem, procuratorem ad eas poteris deputare. Delegatus etiam Apostolica Sedis, & subdelegatus ab eo, tibi (si non habeas) curatorem dare valeant, vel auctoritatem constituendi procuratorem prestare ad illas causas, vel lites duntaxat, quæ coram ipsis fuerint ventilanda, in hujusmodi quoque litibus sive causis, quanquam in potestate patris existas; nec aliàs absq. illius assensu in iudicio regulariter esse possis (cùm de ijs se intromittere non habeat) nequaquam requiri debet assensus.

Quæres 2. an filius familias habeat legitimam personam standi in iudicio? Resp. filium familias in potestate patris constitutum, quamvis majorem, suo nomine, seu in propria causa, sine patris consensu non habere legitimam personam standi in iudicio. *L. ult. C. de bonis, qua liberi, & c. fin. de iudic. in 6.* consensus enim requiritur ad valorem actûs; Pithing in *l. 2. tit. 1. n. 18.* sufficit tamen consensus, seu mandatum generale, in omnibus, & contra quemlibet: Durand. in *spec. l. 1. p. 2. tit. de actore q. 1. n. 40.* Dixi 1. suo nomine. Nam si majorem sit, etiam sine consensu patris potest stare in iudicio, nomine alieno *c. qui generaliter. §. nedum. & §. fin. de procurat. in 6.* Dixi secundò regulariter; nam in quibusdam casibus etiam suo nomine, sine patris consensu potest, 1. si agitur de bonis castrensibus *L. quasi L. Miles. §. 1. ff. de Castrens. pecul.* horum enim habet plenissimam administrationem *l. 1. q. ult. & l. 2. ff. ad S. C. Macedon. 2. si pater longius absit, & non reliquit procuratorem. L. si longius §. si filius familias. ff. de iudic. in 6.* vel, esto adfit, sed rebus præesse non potest. 3. si impetravit veniam ætatis, modò 20. annis major sit, *l. 4. C. qui veniam ætat. 4.* in præparatoriis ad iudicium usque ad lites contestationem exclusivè, in causis summarijs, & extraordinarijs;

dinariis; Francus in *c. ult. de judic. in 6.*
¶. in hujusmodi n. 5. Datam responſionem
 in principio hęc limita, ut procedat in cau-
 ſis temporalibus, ſeu politicis, & profanis;
 ſecus in Spiritualibus, & connexis. Nam
 ad hęc ſe non extendit patria poteſtas. *c.*
ult. §. ſin. de Judicijs in 6.

19. Quæres 3. quid dicendum de mulieri-
 bus? Reſp. de hoc caſu agi in *c. Mulie-
 res* (quas vagari non convenit, nec viro-
 rum cætibus immiſceri) ubi dicitur: *auto-
 ritate literarum Sedis Apoſtolice, vel lega-
 torum ipſius, aut aliã quacunq; ad iudicium
 perſonaliter evocari, vel trahi invitæ,
 cauſã ferendi teſtimonium, aut aliã quãli-
 bet (quæ in jure non exprimitur) prohibe-
 mus: Sed cùm neceſſarium fuerit teſtimo-
 nium earundem, Judex (in expenſas par-
 tis producentis eaſdem) tabellionem, aut a-
 liam perſonam idoneam ad eas tranſmit-
 tat: vel ſi fortè talis caſus occurrerit, (quo
 jure prohibente receptio teſtium alteri
 committi non poſſit) Judex tunc propter
 hoc perſonaliter ad illas accedat, aut (ſi ta-
 lis ſit perſonæ judicantis conditio, quod id
 per ipſum non deceat fieri, vel non poſſit)
 mittat ad eas: proviſo, quod caſus hujus-
 modi (videlicet ut Judex vadat perſonaliter)
 non fingatur, ne fraus interveniat in
 hac parte. Alioquin fictor hujusmodi, vel
 fraudator ipſo facto ſententiam excommu-
 nicationis incurrat.*

20. Ex hoc ſequitur 1. de Jure Canonico
 mulieres invitæ non eſſe cogendas venire
 in iudicium pro ferendo Teſtimonio, aut
 alterius rei cauſã; quod procedit non tan-
 tum cùm ſint illuſtres, ex *L. ad egregias.*
15. ff. de jure jur. & colligitur ex Authent.
Sed Judex c. de Episc. & Cleric. ac L. 1. C.
de Offic. diverſ. Judic. Sed etiam licet no-
 biles non ſint, ut notat Barboſ. in *dict. L.*
ad egregias n. 3. & alij; cùm non deceat
 illas vagari, & virorum cætibus immiſce-
 ri, quæ eſt ratio ipſius textûs.

ſequitur 2. dictam diſpoſitionem, ne
 mulieres invitæ cogantur venire in iudi-
 cium, procedere, ex quacunq; cauſa ci-
 tentur, niſi expreſſa ſit in jure; & patet ex
 textu ibi: *aut aliã quãlibet, quæ in jure
 non exprimitur;* quæ autem cauſæ illæ in
 jure expreſſæ ſint? dicemus à *n. 23.* Dixi 1.
 invitæ. Nam ſi non ſint Religioſæ, ha-
 bentes clauſuram, ſi velint, comparere
 poſſunt in cauſis civilibus ipſæ, ut colligi-

tur per ſenſum contra ium; cùm textus ſo-
 lum dicat, *ſi ſint invitæ:* non tamen in cri-
 minalibus, ubi criminaliter agitur, niſi
 ſuam, vel ſuorum injuriam perfequantur.
*L. qui accuſare ff. de accuſ. L. uxor cum
 ſeq. C. de his, qui accuſare non poſſunt. Dixi
 2. ſi non ſint Religioſæ.* Nam de his in
 cit. *c. Mulieres,* ſpecialiter cautum eſt *¶.*
ceterum, ibi: *ceterum femina religioſa,
 præſertim, quæ debent ſub clauſura mora-
 ri, extra ſuum Monasterium, vel clauſu-
 ram non vocentur ad iudicium, vel tra-
 hantur ex quavis cauſa perſonaliter,
 etiamſi ad hoc voluntas accederet earun-
 dem. Decernimus quoque, ut ipſo jure ſit
 irritum, & inane, ſi quid contra præmiſ-
 ſa contigerit attentari.*

Ex hoc ſequitur 3. quidquid contra hęc
 quæ citato *¶. Ceterum,* ſtatuta ſunt, ne
 mulieres religioſæ perſonaliter cogantur
 venire in iudicium, factum fuerit, ipſo ju-
 re irritum eſſe, ac inane, adeo quidem, ut
 hoc procedat etiam in caſu, quo ipſæ non
 invitæ, ſed conſentientes, veniunt perſo-
 naliter in iudicium.

ſequitur 4. mulieres invitæ etiam in
 caſu, quo neceſſarium eſt earum teſtimo-
 nium, cogi non poſſe, ut perſonaliter
 compareant in iudicio; ſed tali caſu poſſe
 recipi earum teſtimonium ab ipſo iudice
 illas adeundo, ſi perſonæ judicantis condi-
 tio id patiatur; vel poſſe committi viro
 alteri honeſto *c. mulieres, cit.* ubi tamen
 nota, quod Judex per fraudem fingens ne-
 ceſſitatem, ideoque mulierem facit nomi-
 nari in teſtem, ut malo fine ad eam accede-
 re poſſit, ipſo facto incidat in excommuni-
 cationem, *c. mulieres cit.* non tamen re-
 ſervatam Papæ, gloſſ. in *cit. c. V. incur-
 rat.*

Dices: receptio & examinatio teſtium
 non poteſt committi, niſi habenti jurisdi-
 ctionem? Reſp. id verum eſſe de jure civi-
 li, ſed non canonico; hęc enim committi
 poteſt tabellioni, & (in ejus defectu) viris
 alijs honeſtis *c. mulieres cit. & c. quoniam
 de probat.* Adverte tamen, cùm mulier
 honeſta (ſeu, ut ait textus) *egregia,* in do-
 mo ſua deponit, non neceſſario citandam
 eſſe partem in tali examine, ut docet Fa-
 rinac. in *praxi crimin. p. 1. q. 72. à n. 68.*
 apud Barboſ. in *cit. c. Mulieres n. 9.*

Porro Reſponſionem datam in *n. 19.*
 Limita 1. ut non procedat, ſi mulieres ci-

ten.

tentur in causa fidei; idque propter illius favorem, & Judicium auctoritatem, ut notat Simancha de Cathol. Institut. c. 44. n. 12. qui num. seq. addit: *modestius tamen esse, potius rogari per Inquisitores, quam compelli.*

Limita 2. ut non procedat, causa in iudicium deducta talis sit, ut corporalem mulieris præsentiam juris necessitas exigat v. g. si de gravi crimine accusetur. Nam in causis criminalibus mulieres personaliter citari, capi, & incarcerari possunt. Authen. *hodie C. de custod. reorum*: non autem ob debita civilia. 3. ut non procedat respectu mulierem inhonestarum, ut sunt meretrices *L. egregias ff. de iurejurando.*

14. Dices: In c. 3. de Testibus, contrarium esse statutum; nempe mulieres etiam invitæ cogi posse personaliter venire in iudicium. Nam Gregorius IX. ad Sabinum defenforem Sardinia: ita scripsit: Quoniam aliqua nobis de persona Epiphaniij Presbyteri sunt facinora nuntiata, necesse est; ut cuncta diligentius perscruteris, & seu mulieres, cum quibus peregrisse dicitur, seu alios, quos de causa scire aliquid senseris, huc festines adducere: quatenus Ecclesiasticâ distinctione liquidè possint, quæ vera sunt, aperiri. Ad hunc textum respondet Gonzalez *ibid n. 4.* in dicto casu admittam in iudicium sceminam; quia Epiphano in iudicium vocato, imputabatur concubitus cum illa, pro quo, tanquam delicto difficilis probationis, admittebatur illa ad deponendum; ut inde haberetur saltem conjectura delicti, ex qua cum alijs adminiculis iudex in iudicando juvari posset, præsertim ubi agitur de delictis gravioribus, ut colligitur ex c. *Tanta de Simon.*

25. Quæres 4. quid dicendum de alijs personis laicis? Resp. juxta regulam datam n. 15. omnes, nisi prohibitos, habere legitimam personam standi in iudicio; excipe 1. militem per *L. non prohibentur. C. de his, qui accus. non possunt.* 2. Furiosum, mente captum, surdum, & mutum; unde horum nomine, agit Curator *arg. l. 1. de Curator. furios.* 3. prodigum *L. 19 §. fin. ff. de Tutor. & Curat.* 4. Servum, *L. quod attinet ff. de R. I.* 5. Deportatum, cujus loco in iudicio stat fiscus, de quibus plura legistæ; quibus præmissis.

* * *

§. I.

An Prælati Ecclesiastici habeat legitimam personam standi in iudicio?

Respondet Pirhing *h. t. 24.* Prælatum, etiam Regularem, per se solum, 262 absque consensu, vel consilio Capituli, seu Conventus, in iudicio agere, vel conveniri posse, si agatur de rebus communiter pertinentibus ad Prælatum, & Capitulum; præterquam, si causa ardua, vel magni momenti sit, dicens, id colligi ex c. *Abbatem. 18. q. 2. & c. non dicatis. 12. q. 2.* quæ desumpta sunt ex Toletano Concilio. 4. c. 50. ut ponitur statim in principio dictæ quæstionis secundæ: In hac autem quæstione duplex est Capitulum incipiens à verbo *Abbatem*; nempe tertium, & quartum; sed ex neutro videtur colligi assertio. Nam in tertio solum dicitur, non esse ordinandum alium, nisi quem dignum moribus, atque actibus monasticæ disciplinæ communi consensu Congregatio tota poposcerit; & in 3. nisi quem sibi de sua Congregatione, & Monachorum electio, & possessionis Dominus, & (quod magis observandum est) ordo vitæ, ac meritum depoposcerit. Capitulum, quod est 11. in ea causa 12. non quæstione prima, sed secundâ solum est ex Divo Augustino, & solum dicit, quod non liceat habere proprium ijs, qui suis renuntiant, & communiter vivere spondent.

Nihilominus retinenda est assertio ex eo, quia habet Liberam administrationem, lege, seu jure sibi constitutam; sic Barbosa in c. *Edoceri 2. de rescript.* de quo infra n. seq. & c. *qui Generaliter constituitur, de procuratoribus in 6.* ibi: *qui generaliter constituitur ad negotia Procurator, agere, ac experiri potest, exceptis his casibus, qui mandatum exigunt speciale;* id, quod etiam dicitur *L. fin. ff. Quod cujunque universitatis nomine.* Unde quando dicitur qui nequit alienare rem aliquam, nequit eam in iudicium deducere. *L. ait. Prator §. 2. ff. de jure deliber.* ibi: *absurdum est ei, cui alienatio interdicitur, permitteri actiones exercere;* Sed Prælati sine consensu Capituli, non potest alienare, ut constabit. Resp. hanc regulam procedere de his, qui in iudicio agunt non nomine proprio, sed alieno. Albas in c. *edoceri,*

de

de rescript. n. 6. Abbas autem, vel Prælat-
 us agit nomine suæ Ecclesiæ, vel Mona-
 sterii. Sic Pater bona filij adventitia non
 potest alienare, & tamen pro ijs in iudicio
 contendere potest. Excipi tamen debent
 causæ arduæ, & gravis momenti. c. Abba-
 tem 18. q. 2. c. non dicatis 12. q. 1. Simi-
 liter Tutor sine decreto Judicis alienare
 non potest, & tamen potest agere in iudi-
 cio de bonis pupilli.

28. Econtra Capitulum in bonis comuni-
 ter pertinentibus ad ipsum, & Prælatum,
 sine consensu, & autoritate Prælati regu-
 lariter non habet legitimam personam
 standi in iudicio. c. causam. 9. de Judi-
 cijs ibi: *provideas inter cetera ut fratres*
Dulmen: Monasterii cum auctoritate, &
assensu Episcopi sui ingrediantur negoti-
um. Ne si fratres Sancti Albani obtine-
ant, Episcopus idem Abbatem Monasterii
se proponens, litem sopitam valeat suscita-
re. Secus autem (in causis propriis con-
 ventus, nimirum separatim attributis Ca-
 pitulo) in his enim non admittitur Præla-
 tus, nisi exhibeat mandatum, seu consen-
 sum Capituli, vel caveat, Conventum
 rem postea ratam habiturum; sic gloss. in
 r. 1. de Procuratoribus. v. legaliter.

Hæc confirmari possunt ex c. edoceri.
 21. de Rescriptis; ubi Pontifex Abbati, &
 Conventui Præmonstratensi quærenti: *an*
in causa Monasterij conveniatur Abbas
per rescriptum, in quo nulla fit mentio de
conventu; & propter hoc appellari possit?
 rescriptit: edoceri postulasti à nobis, ut-
 rum per literas adversus Abbates (nullâ
 mentione habita de suis conventibus) im-
 petratas teneantur Abbates ipsi super cau-
 sis (quæ ad Conventus pertinent, & eos-
 dem) de ipsis querelantibus respondere:
 ac licet inhibita sit appellatio, per appella-
 tionis objectum possint (ne respondeant)
 se tueri: super quo duximus responden-
 dum: quod nisi alia causa rationabilis
 suffragetur, per appellationem se tueri non
 possunt, quo minus debeant auctoritate
 literarum hujusmodi legitimè respondere:
 cum ex officio suo teneantur Congregatio-
 num suarum negotia procurare: nisi forte
 Abbatis, & Conventus negotia essent om-
 nino discreta. Ex hoc textu colligitur,
 Abbatem ex officio suo teneri Congrega-
 tionum suarum negotia procurare, nisi
 negotia Abbatis, & Conventus essent om-

Tom. II.

nino discreta. 2. eundem super negotiis
 utrique communibus posse conveniri per
 rescriptum justitiæ, etiam nullâ mentione
 Conventus factâ. 3. Abbatem ex tali rescri-
 pto posse conveniri, ac respondere teneri.
 Capitulum igitur in causis, & negotiis com-
 munibus Capitulo, & conventui, nunquam
 convenitur, nec convenit sine assensu
 Prælati, per gloss. in cit. c. causam v. assen-
 su Episcopi hoc est, sui Prælati. Nam in
 eo Conventu, de quo agit Capitulum cau-
 sam, Abbas simul fuit Episcopus; alioquin
 enim sufficiebat consensus Abbatis.

Præterea not. 1. si Capitulum agens sine
 consensu Prælati aliàs requisito, obtineret
 sententiam pro se per subsequentem Præla-
 ti consensum ratificari posse quamvis con-
 tra ipsum non subsisteret, idque privilegio
 Ecclesiæ, quæ in hoc gaudet jure pupilli,
 & minorum in rerum alienatione sine
 consensu Tutoris, vel Curatoris. Intellige
 si consensus Prælati de jure intervenire
 debuit; si verò consensus Prælati fuit re-
 quisitus, quia etiam ipsius intererat, sub-
 sistet per ejus ratihabitionem, de jure com-
 muni Abb. cit. n. 11.

Not. 2. Judicem teneri ex officio cavere,
 ut à litigantibus serventur solennitates in
 judiciis præscriptæ, quarum defectu iudi-
 cium evaderet elusorium, & deberet po-
 stea irritari. Coll. ex c. causa de Judic.
 Hinc etiam parte non petente iudex defe-
 ctum supplere potest; Abbas in cit. c. cau-
 sam 3. & repellere Procuratorem caren-
 tem legitimo; Sic Barbosa in cit. c. causam
 n. 2.

§. II.

An Regularis habeat legitimam perso-
 nam standi in iudicio?

Ante resolutionem supponendum 1.
 Quando dicitur per votum paupertatis
 Religiosa, habentem tale votum, non
 posse habere proprium, per proprium posse
 intelligi, vel dominium, quo res verè, ac
 propriè sit sua; vel usum domini independen-
 dentem à consensu Superioris. Hinc ex Reli-
 gionibus quædam sunt, in quibus Religiosi
 talis Religionis nec in persona sua particula-
 ri, nec in communi habent proprium; quæ-
 dam, in quibus omnes habent proprium in
 communi, non tamen in persona particulari:

quæ-

quædam verò, in quibus etiam particula- res aliqui, etiam in persona propria reti- nent proprium, situm in rerum tempora- lium dominio; non autem situm etiam in usu earum independente à voluntate Su- periorum.

31. Hinc supponendum 2. *abdicationem dominii* etiam in persona particulari, non esse de substantia voti paupertatis, quâ quis cum voto castitatis, & obedientiæ consti- tuatur verè, ac propriè Religiosus; secus usum independentem à consensu *Superio- ris*. Res certa est, ex definitione Grego- rii XIII. *in constit. incip. ascendente*. Da- ta 8. calendas Jun. 1584. Nam qui in So- cietate, post Novitiatum, emittunt tria vota simplicia paupertatis, castitatis, & obe- dientiæ, *verè ac propriè Religiosi existunt*, licèt ad gradus Professorum, & Coadjuto- rum formatorum nondum pervenerint; sed ad hoc paupertatis votum non pertinet substantialiter abdicatio dominii, etiam in persona particulari, sed tantùm usus independentis à licentia *Superioris*; ergo.

Major certa est ex dicta constitut. Gre- gorij, ibi: *sed & Scholares ipsos, ac supra- dictos alios omnes, & quoscunque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio proba- tionis à quolibet eorum peracto, tria vota substantialia prædicta, tametsi simplicia, emiserint, aut emittent in futurum; verè, & propriè Religiosos fuisse, & esse, ac fore, & ubique semper, & ab omnibus censerì, & nominari debere; non secus atque ipsos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Re- gularium Ordinum professos, suisque præ- positis in omnibus, & per omnia obedire; & huic Sedi immediatè subjectos, & à quo- rumvis Ordinariorum, & delegatorum, seu aliorum Judicum jurisdictione omninò exemptos.*

Minor æque certa est ex eadem consti- tut. ibi: *& licèt, qui ad gradus Professorum, & Coadjutorum formatorum nondum per- venerunt, bonorum suorum jus atque do- minium, (tum alias ob justas causas, tum etiam, ut majorem Societas habeat liberta- tem, illos, si opus fuerit, cum minori offen- sione dimittendi) ad tempus Generalis Præ- positi judicio præscribendum, valeant reti- nere, ut in pauperes tandem, seu alios pios usus pro ipsorum devotione distribuunt, juxta Evangelicam consiliùm, ac promissio- nem, quam initio Novitiatus faciunt: in-*

terim tamen, quantum ad illorum usum, religiosam paupertatem servant, nec ullà re, tanquam proprià, & sine Superioris facultate uti possunt.

Supponendum 3. dispositionem juris circa Regulares fundatam in eo, quòd vi sui statûs non possint habere proprium vel in persona sua particulari, vel etiam in communi, quoad effectus juris inde nas- centes, non bene applicari eis etiam, qui vi sui statûs possunt habere proprium, vel in communi, vel etiam in sua persona par- ticulari; sic enim procederet à diverso ad diversum; qui argumentandi modus nul- lius momenti est, ut patet vel dialecticis.

Supponendum 4. etsi *aliquo casu* ve- rum sit, quod dispositum *in casu vero*, et- iam producat effectum juris *in casu ficto*, qui juris dispositione æquiparatur vero; hoc tamen non procedere *quoad omnem effe- ctum*, nascentem ex dispositione juris circa casum verum, sic licèt Beneficiatus, solum *fictè* residens in sua Ecclesia, pro certis ca- sibus æquiparetur residenti *verè*, quoad lucrandos fructus beneficii; non tamen procedit etiam quoad distributiones quoti- dianas, ut dicitur *l. 3. tit. 4. de Cleric. non resid.* similiter licet *mors civilis* æquiparetur *naturali*, juxta commune brocardi- cum *L. actione 65. §. publicatione, ff. pro socio, & §. solvitur, Institut. de Societ.* plu- rimas tamen habet limitationes, ut videri potest apud Barbosam *l. 11. axiomat. a. 5. r.* & procedit solum in casibus à jure expres- sis, ut rectè notat gloss. in *c. Placuit 2. 16. q. 1. & in c. susceptum, de Rescript. in 6.* quibus præmissis.

Pro parte negante, *Regulares habere le- gitimam personam standi in judicio*, addu- ci possunt seqq. *1. c. Monachi. 35. 16. q. 1.* ibi: *similiter, ut nullus Monachorum, fo- rensis negotij susceptor, vel executor exi- stat, nisi quod Monasterij exposcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante. Secun- dò, c. Ex parte. 2. de Postuland.* ubi propo- situm fuit Pontifici, quòd quidam Cano- nici Regulares non solum in Ecclesiasticis, verùm etiam in forensibus causis præsu- mant advocati judicium exercere; Cum- que objiceretur eis, quòd non debent esse forensis, vel Ecclesiastici negotii suscepto- res, vel executores, nisi fortè id Monaste- rij exposcat utilitas, Abbate nihilominus imperante, ad suam proponant insolentia

nam excusandam, quòd capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de Monachis, non de Cononicis Regularibus loquatur manifestè: rescriptit Innocentius III. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd idem iudicium de Canonicis Regularibus, quòd & de Monachis (quantum ad supradicta) credimus observandum, licet de Monachis in canone specialiter sit expressum.*

35. Deinde nullus Regularis, utriusque sexus, vel per se, vel per alium, stare potest in iudicio, vel activè, vel passivè, sine Superioris licentia, ut traditur communiter à doctoribus in c. *Cum dilecta*. 22. de rescript. sic Pirhing de Judicijs n. 29. Sanch. l. 6. *summe*, c. 12. n. 1. Probatur 1. quia in hoc æquatur, servo, & filiofamilias, contra quos, vel pro quibus non potest fundari iudicium. L. *lis nulla*, & L. *vix*. ff. de Judic. L. *servus C. cod.* Secundò. Regulares pro mortuis habentur, & nihil habent, cuius causa pro se agunt ut dicitur in cit. c. *cum dilecta*, & Authent. *causa, qua fit cum Monacho*. C. de Episcopis, & Clericis. Navarr. comment. 2. de Regularibus n. 64. Everard. *Loco* 24. à servo ad Monachum, n. 4. Tertio tales æquiparantur capite minutis, qui nihil possunt jure suo; cum sui juris non sint, & plenè transiverint in alienam potestatem. Quarto, quia sicut deportatus, & exul, sic Monachus se habet ad hereditates; sic Barbof. L. 11. *axiomat.* c. 45. n. 2. Unde habet se sicut capite minutus, cui nulla est legitima persona standi in iudicio. His tamen non obstantibus:

36. Dicendum quemlibet Regularium, cum licentia sui Superioris, habere legitimam personam standi in iudicio, tam activè, quàm passivè; est communis sententia DD. Nam hoc non modò nullo jure prohibitum est; sed etiam positivè approbatur, ut patet ex cit. iuribus à n. 34. quod intellige non tam nomine Monasterii, Collegii, vel Ecclesiæ suæ, aut propinquorum, sed etiam nomine suo, si rerum temporalium dominium habeat in sua particulari persona, prout contingere posse constat ex dictis à n. 31. Quilibet enim Regularis cum licentia sui Superioris agere potest in iudicio pro rebus suis, & suorum ex dict. à n. 34. Nec obstant in contrarium adducta fundamenta.

Tom. II.

Nam ad r. ex c. Monachi. Resp. nihil desumi, imò contrarium probari, cum expresse prohibitionem inibi factam limitet: nisi cum Abbatis imperio; & Abbate sibi nihilominus imperante; accedit, quòd dispositio loquens de Monachis, quàm talibus, non afficiat alios Regulares, non Monachos; & loquens de non habentibus proprium in particulari persona sua, non tangat habentes oppositum; at cit. c. *Monachi* loquitur de Monachis, quàm talibus, ut liquet ex illis verbis: à Monasterio foras egredientes; ipsorum enim propria est solitudo, & secessus à publico. Cæterum etiam Monachus de voluntate sui Superioris degens extra Monasterium, Superiore absente potest agere, & conveniri; sic Barbof. in c. *cum dilecta*. de Rescriptis n. 7. & in L. *si longius*. l. *si filius*. ff. de Judicijs n. 50. plures tales casus habet Sanch. cit. à n. 12. Pirhing de Judic. à n. 31. & alii. Et c. *cum dilecta* cit. expresse habetur casus, ubi in causa spoliationis una Monialium per se, altera per Procuratorem steterit in iudicio. V. Pirhing in c. *cit. de rescript.* n. 46.

37. Ex hoc habetur etiam responsio ad argumentum ex c. *cum dilecta*. 22. de Rescript. id enim procedit solum, quo, carens proprio, ageret vel nomine suo (sic enim fieret elusorium iudicium) vel nomine communi, sine consensu ejus, qui conventui præest. Nam sine hoc eodem modo ejus actio exceptione statim elideretur, iudicio sine fructu convocato. Hinc etiam textus illi, qui supponunt, necessarium esse consentum Episcopi, ut Monachi in iudicio comparere possint, accipiendi solum sunt de illis Monasteriis, quæ ex lege diæcesana, & jurisdictione parent proprio Episcopo juxta generalem regulam in c. *omnes* 16. q. 1. secus in exemptis. Sic Gonzalez in c. *Causam* 9. de Judic. n. 8.

38. Ad 2. desumptum ex c. *ex parte*, quod videtur contrarium his, quæ diximus n. 37. & 50. non valere argumentum à Monachis quàm talibus, ad non Monachos. Resp. nihil probari ad intentum; ibi enim solum dicitur, idem iudicium, de Canonicis Regularibus, quòd & de Monachis (quantum ad supradicta) observandum esse, licet de Monachis in Canone specialiter sit expressum. Supra dicta autem sunt, quod quidam Canonici Regulares non solum in Ecclesiasticis, verum etiam in forensibus

B 2

causis

causis presumant advocati iudicium exercere. Et in his omnino idem iudicium est de Canonicis Regularibus, & Monachis. Hæc enim prohibitio facta Monachis, non fundatur in qualitate *Monachi* quâ talis; sed in qualitate status Regularis, utriusque communis. Cæterum nec iste textus vel uno verbo loquitur de casu, quo procedunt, ex sui Abbatis consensu, & imperio; minus autem de his, qui habent proprium in sua particulari persona.

40. Ad secundum argumentum in n. 35. *Resp.* negando, inibi assumptam propositionem ex dictis à n. 37. Ad 1. ejus probationem *Resp.* 1. N. maj: sic indefinite prolatam. Nam Monachus potest fieri Episcopus, potest esse executor cum licentia Abbatis, potest esse arbiter &c. quod tamen in *servum* non cadit; sic ex pluribus probat Barbofa *axiomat. l. 11. c. 4. §. 1.* ubi affert etiam Ancharanum in *c. fin. de testam. in 6.* dicentem: hanc equiparationem *de servo, ad Monachum*, non esse per omnia bonam. Et ideo argumentum à servo ad Monachum non procedit, ubi contrarium reperitur in jure expressum. Fagnan. in *c. Monachi, de statu Monachorum. n. 22.* Probatio, quam pars contraria desumit ex *L. lis nulla*, est contra ipsam. Ejus enim verba sunt: *lis nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio*; quæro, quare in hoc, & non in adventitio? certè alia ratio non est, quàm quia castrense peculium est omnino proprium filij familias, non alterum. Sed bona Scholasticorum Societatis sic etiam illis propria sunt; ergo cum illis ipsis per *cit. L. lis esse potest*; ergo habent, *per se ipsos*, vi hujus legis, legitimam personam standi in iudicio. Unde licet in comparatione *quoad aliquos duntaxat actus Religiosi, juris fictione*, pro servis habeantur; reverà tamen servi non sunt, sed potiùs sunt in obedientia Abbatis, sicut filii in potestate Patris. Baldus in *L. sed si. vers. idem queritur, ff. de receptis arbitris n. 1. in 2. lectur.* Et idem ipsius Monasterii Filii Spirituales vocantur. Feilin. in *c. cum Nuntius, de Testibus.*

41. Ad *L. Vix. § 3. ff. de Judicijs.* *Resp.* ex ipsis legis verbis constare, *servis* non negari utcumque actionem, vel conventionem in iudicio, sed tantùm *adversus dominos*, exceptis tamen etiam aliquot *ibid.*

casibus: hoc autem fundatur in propria & vera ea servitute; non autem ea, quæ solum constituit Spiritualem Filium alterius, tanquàm Patris, qualiter est in Monachis respectu suorum Superiorum.

Ex hoc etiam sequitur, nec eo, quòd Regulares in quibusdam casibus equiparentur *filio familias*, quicquam probari ad intentum. Nam licet verum sit, quòd Religiosus, Monasterium per Religiosam professionem ingressus, testari amplius non possit, si nihil amplius habeat proprium de quo testetur, (ut sunt solenniter professi) & in hoc conveniat cum filio familias, qui, dum est sub patria potestate, testari de bonis adventitiis non potest. *L. pen. & ult. c. qui testam. fac. poss. junct. gloss. 7. Certis, & paucis alijs similibus*: est tamen magnum, & multiplex inter eos discrimen in multis. Nam ingrediens Monasterium ante professionem vi Novellæ constitutionis 76. c. 1. suas res, quòd voluerit, potest disponere; nec necessariò illas tenetur inferre Monasterio, quod non habent filii familias *quoad res omnes* respectu Patris. Deinde Scholastici Societatis res suas etiam per vota sua, quibus post biennium transeunt in Religionem, retinent omnes, quoad validam dispositionem, etiam sine consensu Superiorum; quod non habent filij familias, vel pupilli sine consensu Patris, vel Tutoris.

Ad illud, quod dicitur, *Monachum pro mortuo haberi*, ex Authent. *Ingressi c. de ss. Eccles.* *Resp.* procedere solum in casibus fictionis expressæ in jure, ut notavimus n. 33. & aliud non significare, quàm *Monachos* quidem *mundo mori*, scilicet *quoad ejus opera, & vanitatem*; non tamen *quoad jura sua, & hereditates*, ut rectè notat Barbof. *axiom. l. 11. c. 45. n. 2.* quo sensu etiam dicuntur *exules patria, & mundo*; & *instar deportati*, ut coll. ex *L. Deo nobis c. de ss. Eccles.* Quoad rationes autem civiles bonorum temporalium illi tantum Religiosi, vi sui status, sunt civiliter mortui dispositione juris, quibus nec in persona particulari, nec in communi competit ullum dominium, vel jus justitiæ bonorum temporalium; Quales non sunt Scholastici Societatis, nec Canonici Regulares. Benedicti. Cisterci. &c. quotquot dominium bonorum temporalium habent, saltem in communi.

Hinc

43. Hinc not. universaliter, mortis nomine, venire tantum mortem naturalem, non civilem, quando sumus in dispositione conditionali. Condicio enim purificari debet in casu vero, non ficto. *L. qui heredi. §. Mævius. ff. de Condit. & demonstrat.* Ators autem civilis est mors ficta, & non vera. *L. 1. §. fin. ff. de honorum possess. contra tabulas*; ita *Surdus Consil. 90. à n. 24.* & *Card. Tusch. Practic. conclus. tom. 5. lit. M. conclus. 393. n. 20.*

44. Ex hoc sequitur, à deportatis, ab exilibus, à capite minutis (quæ diminutio consistit in mutatione status, nimirum libertatis, civitatis, & familiaris) in dato casu nihil concludi; cum Religiosi, præsertim Scholastici Soc. gaudeant plurimis iuribus, quibus non gaudent exules, deportati, vel capite minuti, ut patet ex dictis; adeoque ab his ad Religiosos argumentum petatum, in ordine ad quæstionem propositam, est à diversis ad diversa, consequenter nihil concludit, sicut nec illud, quo quidam volunt, Scholasticos se habere instar pupillorum. Nam pupillus nec velle, nec nolle, in ea ætate habet, nisi appositâ Tutoris autoritate. *Arg. L. Pupillus nec velle. ff. de Reg. juris.* Manzius cit. in *lib. 1. Instit. Tit. 2. de Adoptionibus. §. 3. cum autem impubes. n. 3.* at Scholastici Societatis, dum in eo gradu sunt, sine Superiorum autoritate, illicitè, non tamen invalidè agunt disponendo de rebus suis ex *n. 41. ergo.*

45. Sequitur 2. quod Religiosus ratione contractus, prius in sæculo celebrati, non ipse conveniri possit, sed debeat Monasterium, libello, & narratione facti concepta in personam Monachi, sed executione sententiæ condemnatoriæ in bonis Monasterii constituendâ, ita tamen, ut hoc non teneatur, ultra bona, quæ ab ipso accepit; ita *Sanchi. cit. n. 2.* & *Navarr. in Commentar. 2. de Regularib. n. 67.*

Sequitur 3. ex delicto sui Monachi non obligari monasterium, sicut nec obligatur dominus ex delicto servi, *Sanchi. cit. n. 3.* Monachus autem injuriatus ab alio non potest agere actione injuriarum in iudicio, nisi Prælatus sit absens, vel Procuratorem non reliquerit *arg. L. sed si unus. §. nisi Prætor, ff. de injur.*

Sequitur 4. irritum esse iudicium celebratum cum Religioso sine Prælati licentia

in casibus, pro quibus sine illa non habet legitimam personam standi in iudicio; quia sic deest Reus legitimus. Excipe, nisi egerit nomine Prælati, vel Monasterii, & acta rata habeantur ab istis; *Pirhing hic n. 30.*

Dixi: in casibus, in quibus non habet legitimam personam standi in iudicio sine Superioris licentia; hæc enim regulariter necessaria est, exceptis tamen quibusdam casibus: 1. si absit Superior, ex causa legitima, & absque periculo in mora requiri non possit consensus Prælati; 2. si sit electus ad Prælaturam, dignitatem, vel beneficium; 3. si agatur de valida ipsius Professione; 4. si de alimentis, vel expensis à Monasterio denegatis. Potest autem agere in his, vel per se, vel, quod decentius est, per Procuratorem Abb. in *c. cum dilecto. de rescript. n. 1. V. dicenda à n. 47.*

Notandum prætereâ, dupliciter alicui Religioso dari posse beneficium manuale, primo beneficium manuale, seu ad nutum revocabile. 2. solum committendo ejus administrationem: & in hoc casu non dici, habere propriè beneficium; sic *Azor p. 1. l. 12. c. 11. q. 10* quo posito dicendum, ejusmodi Religiosum, in dicto primo casu, posse per se agere, & conveniri in iudicio. Nam quilibet præfectus alicujus administrationis, id potest, ut docet *Durandus. de actore n. 49. ex c. cum deputati. 6. de judicijs.*

Nam, cum quidam Judices tam seculares, quam Ecclesiastici Præceptores templi pro domibus suis, etiam de consensu Magistri suæ Religionis, agere, ac defendere ad prosequendam suam justitiam non admitterent, tanquam licitum non sit eis super litigiosis negotiis curam gerere, qui pacificis decreverunt studiis inhære, illud allegantes in repulsione eorum, ipsis generatio non est nota: qui undecunque venerint gratiâ Divinâ vocati, dum laudabiliter exequantur officium sui ordinis, ex superabundanti requiritur suæ notio nationis: & propterea Magister, & fratres militiæ templi in Italia constituti apud Innocentium III. conquesti essent, respondit Pontifex: *ne quis igitur in prosecutione causarum præceptores eosdem ab agendo, vel respondendo, occasione hujusmodi, repellat, auctoritate presentium inhibemus.*

Pro explicatione hujus capituli notandum

B 3

dum

46a

47a

dum 1. ex Petyra in *Elucidario* n. 1362. per *Præceptores* hic intelligi *Commendatarios*, vel personas religiosas, deputatas, ut possint agere, ac defendere jura Ecclesiæ, *Clement. 1. de Rescript.* Sunt (prout inquit *Azor p. 2. l. 3. c. 26. q. 3.*) in Religiosorum ordinibus præsertim ad militandum, vel excipiendum hospitio peregrinos, vel curandos ægrotos institutis, administratores domorum, vel prædiorum, vel reddituum, aut bonorum ad ipsos ordines pertinentium, qui vocantur *Præceptores*, tribus votis obstricti, & Regulam ipsius ordinis professi, à summo magistro rebus administrandis constituti.

Not. 2. ex hoc textu clarè deduci, Regulares habere legitimam personam standi in judicio tam activè, quàm passivè pro rebus Ecclesiæ, vel Monasterij sui de Superioris licentia, (ubi proprium istud habet in communi) non suo, sed Ecclesiæ nomine; pro eo scilicet, qui proprium habet. Unde si Religiosus proprium habeat non communi, sed suo particulari nomine, etiam suo nomine, cum Superioris consensu, legitimè stat in judicio, tam activè, quàm passivè: Ex hoc sequitur ineptè quosdam *Juris Consultos* indefinitè coacervare *Juristextus* in hac quæstione (*an iste Regularis legitimam personam habeat standi in judicio*) quos antiqui canones habent, de Regularibus pariter indefinitè, loquentes duntaxat de his, qui proprium non habent, liquet ex omnibus illis, quæ congruunt in contrarium, de quibus. n. 34.

48. Sequitur ulteriùs nullatenùs legitimum fieri argumentum in hoc puncto ab aliis Religionibus, ad Religionem Clericorum Soc. JESU; cujus ratio præter clarum discrimen in prædictis expositum, desumitur ex constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, ubi, postquam retulit nostræ Societatis exordia impugnata; ejusque institutum declaravit, & confirmavit, hæc habet: *quia tamen non defuit temeraria quorundam audacia, qui post declarationem, decretum, præceptum, & interdictum nostrum hujusmodi, non solum multa ex prædictis, & fortasse alia ad Societatis institutum, ac vivendi formam spectantia, labefactare, sed & ipsa Apostolica decreta, ac præcepta, publicè, & ex Cathedra, ausu temerario, impugnant, mentemq. nostram perversè interpre-*

tari non erubescant, disputantes, & prædicta in dubium revocantes; omniaque ex aliorum regularium ordinum communibus rationibus, formis, ac statutis metientes, Societatis institutum, peculiare Constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, à Sede Apostolicà in eadem Societatis Religione probata admissorum, penitus ignorantes, ac nonnulla jure antiquo, quæ post illud successu temporum hujus Sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus privilegijs sancita, & roborata esse dignoscuntur, perperam interpretantes, convellere nituntur. Quin etiam nos supra dicta, motu simili, & ex certa scientia, de Apostolica potestatis plenitudine decernentes, ac precipientes, privato sensu locutos fuisse, ac tanquam privatos doctores errare potuisse, imò verè, & de facto, ob falsam supradictorum informationem, errasse; ideòque præceptum nostrum nullam ad obligandum vim habere, & subjungit ulterius eorum perversam interpretationem, dicentium: Neminem præterea eorum, qui solemnem professionem in dicta Societate non emiserunt, de illius corpore, aut verè, aut propriè Religiosum esse posse; sed eos merè seculares, ac Ordinariorum jurisdictioni subditos existere; nec Societatem ipsam, aut illius Superiores, imò nec nos jus in eos ullum, ex vi votorum hujusmodi habere, vel acquirere, aut Superioribus ipsis conferre posse: non considerantes voti solemnitatem solà Ecclesiæ constitutione inventam esse; triaque hujusmodi Societatis vota, tamen simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa; illaque emittentes in statu Religionis verè constitui; quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque Divino servitio in eà mancipant; in quibus votis nullus præter Romanum Pontificem potest manum apponere; aliisque, atque aliis modis Societatem ipsam impetunt, universali Ecclesiæ perutilem, qui diversis functionibus, & personarum gradibus distributa, à Romanis Pontificibus presbyterorum, à Tridentina Synodo Clericorum Religio appellata, habitu, nominè, plerisque personarum gradibus, votorumque differentijs, ab alijs Regularibus Ordinibus distinguitur.

Quibus, & pluribus falsis criminationibus contra Societatis institutum ibidem

enarratis, subjungit: *Et ut contradicentiam audacia coercatur, premissas omnes, & quasvis alias illis similes assertiones, contra dictæ Societatis institutum, vel quomodolibet in illius præjudicium pronuntiatas, aut scriptas, falsas omnino, & temerarias esse, & censerì debere.* Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quævis officia, & beneficia secularia, & quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutionem nobis, & successoribus nostris reservamus) ne quis cujuscunque status, gradus, aut præminentie existat, dictæ Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam præsentis, aut quemvis eartum, vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradictum concernens, quovis disputandi, vel etiam veritatis indaganda quesito colore, directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; distriktiùs inhibentes, ne quis, sive extra, sive intra dictam Societatem, nisi de illius Generalis, aut inferiorum Præpositorum licentiâ notaciones, declarationes, glossas, vel Sholia ulla Super præmissis facere, vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam injicere, vel in controversiam, vel dubium revocare audeat *quo quomodo.* Ex quibus omnibus fatis aperte sequitur à glomeratis antiquorum canonum juribus ad casum de personis, ac Scholasticis Soc. JESU; ijsque quæ in jure antiquo de aliorum Religionum Alumnis, ex laudabili eorum instituto constituta sunt in sacris canonibus, nullum omnino in hoc puncto, de quo in præsens, argumentum esse.

§. III.

An excommunicatus habeat legitimam personam standi in judicio?

49. **H**Æc quæstio proposita est Alexandro III. ab Episcopo Paduano, ad quam respondit Pontifex: *quod conveniri possit; & debeat per alium respondere; ne videatur de sua malitia commodum reportare;* ut habetur in c. *Intelleximus.* 7. h. t. Unde sequitur, excommunicatum non posse

agere in judicio; intellige in alia causa, quàm excommunicationis. c. *decernimus, de Sentent. excom. in 6.* ubi Alexander IV. *decernimus,* inquit, *ut Judices Seculares,* per censuram Ecclesiasticam ab Ecclesiasticis judicibus (canonicâ monitione præmissâ) *repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando, & testificando in suis curiis, & judiciis compellantur;* idque nec suo, nec alieno nomine reg. 67. de reg. jur. in 6. ibi: *quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit;* & si vitandus sit, à judice repellendum esse, etiam nullâ exceptione appositâ; si autem toleratus, & excommunicatio sit notoria, posse quidem repelli à Judice, sed non teneri, nisi pars excipiat c. 1. de except. in 6. eandem exceptionem illi apponere potest Notarius, & quicumque alius. gloss. *recept. in tit. c. 1.*

Dixi 1. in alia causa, quàm excommunicationis. Nam in hac agere potest, quando agitur de ejus valore, vel quòd lata sit interpositâ appellatione; vel quòd contineat intolerabilem juris errorem. c. *cum contingat. de offic. delegat. c. per tuas.* 40. de sent. excommunic. ubi dicitur, quòd, si excommunicatus ab Episcopo, ad Metropolitanum appellat, ab eo absolvi potest: Metropolitanus tamen volens suo Suffraganeo deferre, potest illum sibi remittere absolvendum & teneri etiam remittere, *quando propter manifestum excessum fuit excommunicatus;* & ante absolutionem non auditur volens probare, se injustè excommunicatum; secùs, si probare vult, sententiam esse nullam. Idem dic, si agatur de animæ periculo, vel ad illud evitandum, sic Abbas c. *significaverunt de except. n. 22.* vel si non agat voluntariè, sed ob periculum in mora, v. g. quia aliàs debitor illius fugeret; Barbof. in c. *intelleximus. n. 10.* Vel si impediatur facere sibi permittit v. g. ire Romam ad impetrandum rescriptum, &c.

Dixi 2. Judicem teneri excommunicatum vitandum à judicio repellere, etiam non oppositâ exceptione; cum ei non liceat, etiam in profanis, communicare. Quia tamen in ejusmodi exceptione frequenter, ex malitia etiam, fatigantur judicia, sequentem modum præscripsit Innocentius IV. in c. *piâ consideratione, de except. in 6.* ibi: *dignum duximus communem adhibere medelam;* si quis igitur excommunicationem

502

512

tionem opponit, *Speciem illius*, & *nomen* excommunicatoris exprimat, sciturus, eam rem se deferre debere in publicam notitiam, quam intra octo dierum spatium (die, in quo proponitur, minimè computato) probare valeat apertissimis documentis; quod si non probaverit, iudex in causa procedere non omittat, reum in expensis, quas actor ab hoc diebus illis se fecisse docuerit, præhabita taxatione condemnans; Si verò postmodum instantiâ durante iudicii, & probationis copiâ succedente de eadem excommunicatione, vel aliâ, excipiat iterum, & probetur; actor in sequentibus excludatur, donec meruerit absolutionis gratiam obtinere, jis, quæ præcesserunt, nihilominus in suo robore duraturis, proviso, quòd ultra duas vices, hæc non opponatur exceptio, præterquam si excommunicatio nova emerferit, vel evidens, & prompta probatio supervenerit de antiqua; sed si post rem iudicatam talis exceptio proponatur; executionem impedit, & sententia, quæ præcessit, non minùs robur debitum obtinebit, eo tamen salvo, ut, si actor excommunicatus sit publicè, & hoc iudex noverit, *quandocumq;* (etsi de hoc Reus non excipiat) *iudex ex officio suo actorem repellere non postponat.*

Ex hoc textu deducitur 1. exceptionem excommunicationis actori, sicut testi, in quacunque litis parte, usque ad sententiam objici posse, ut liquet ex ipso textu. 2. cum, qui opponit illius exceptionem, teneri expressâ illius specie, ac nomine, excommunicationem apertè probare intra proximos 8. dies; secus, iudicem in causa processurum, & Reum præmissâ taxatione condemnaturum in expensis, quas actor probaverit interim se fecisse: si autem denuo post præcedentem instantiam, eandem objecerit, & probaverit, actorem non esse ulteriùs admittendum, donec absolutus fuerit. 3. Si Reus intra dictum octiduum eandem exceptionem objecerit & non probaverit; volentem eandem tertio objicere, non esse audiendum, præterquam, nisi vel nova excommunicatio emerferit, vel supervenerit evidens, vel expedita nova probatio dictæ excommunicationis, ita cit. *c. pia.*

§2.

Not. præterea, licet actor repellatur, quando excommunicatio illi per excepti-

onem objecta legitime probata fuit, acta tamen quæ antecesserunt, firma mansura, ut expressè habetur in textu relato n. 51. Not. 2. ubi Judici constat, Actorem esse publicè excommunicatum, etiã Reo non excipiente, illum teneri ad eum à iudicio repellendum, ex cit. *c. pia, in fine.* 3. quamvis illicitum sit, cum Actore, advocato, teste, Procuratore, si sint excommunicati vitandi, in iudicio communicare, acta tamen nihilominus valere; ut diximus; & tenet Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 14.*

Not. 4. exceptionem excommunicationis contra actorem, vel petitem duppliciter opponi posse, ut notat gloss. *in c. pia 1. de except. in 6. V. Proponit. 1. per modum duntaxat dilatoria* salvo iure actoris, secundum quod petitionem suam, absolutione obtentâ proponere potuerit. 2. *per modum peremptoria*, quâ omnino perit illius jus, ut si electò, confirmationem petenti opponatur, quòd electus sit ab excommunicatis; vel, dum ipse fuit in excommunicatione. Si autem iudici objiciatur excommunicatio, quâ innotatus sit, dicemus *infra tit. 2. de foro compe.*

Not. 5. quod, licet excommunicatus, possit ut Reus conveniri in iudicio. *c. intelleximus cit.* in quavis causa; ne ob excommunicationem reportet commodum, & in iudicio stare ut Reus, sed solum ut *Reus necessarius* (si scilicet citatus venire compellatur) *non ut voluntarius.* Unde etiam *Actor necessarius* esse potest, quia à defensione nullus excommunicatus repellitur; Pirhing. *de iudic. n. 40.* Not. 6. excommunicatum tanquam Reum in iudicio conventum, non posse actorem suum reconvenire: *c. cum inter, de except. de mutuis petit.* adeoque non obtinet rationem necessariz defensionis, sed actionis: sed intellige de reconventionem *proprie* dicta, per quam objicitur actori id, quod est extra causam, in iudicium deductam: Licet tamen illi exceptionem contra actorem, cum non sit *proprie* dicta reconventio, sed defensio; sed intellige, si etiam actor sit excommunicatus. Not. 7. excommunicatum condemnatum posse à sententia iudicis appellare, appellationem proseguere, iudicem suspectum recusare, excipere contra testes, & omnia præstare quæ sunt *necessariz defensionis* in iudicio *c. intelleximus*

ximus de Judicijs. Not. 8. excommunicatum in iudicio posse respondere per Procuratorem ex *c. intelleximus cit.* non tamen teneri, saltem in arduis. Unde *ly debet per alium respondere* (quod habetur in *cit. c.* intellige, ubi, ut per se ipsum respondeat, causæ gravitas non exigit.

S. IV.

An Rector inferioris Ecclesie in iudicio stare possit pro juribus ejus?

53. **Q**uestio est, an jus agendi in iudicio, pro juribus Ecclesie inferioris, quæ Prælato Superiori subiecta est, competat inferiori, vel Vicario perpetuo? hæc quæstio tractatur *c. cum deputati 16. h. t.* & respondetur juxta id, quod ex illo textu colligitur, quod Religiosi habentes administrationem, aut beneficium possint super juribus agere, & conveniri in iudicio, ut diximus *n. 46.* et si à Prælato superiore constituti sint, ita, ut uterque actu administrationem habeat, agere posse inferiorem, si superior permittat, & non ipse agere malit: si autem inferior tantum in actu habeat administrationem, & superior in habitu, Rectorem, seu administratorem præferri; nec superiorem ordinariè se immiscere debere, nisi in defectu inferioris; sic *Clement. 1. junct. gloss. V. liceret. de Reser.* ubi dicitur, quod Abbates, aut alii Religiosi, quibuslibet administrationibus præidentes, occasione Prioratum, seu aliorum locorum subditorum eisdem, nullum auctoritate literarum Apostolicæ sedis, vel legatorum ipsius, quomodolibet valeant convenire, nisi ubi, & coram quibus, Prioratum, & locorum ipsorum Prioribus, aut aliis gubernatoribus hoc liceret. Nec occasione locorum ad mensas pertinentium eorundem, aliud in ipsis super hoc, liceat, quam si loca sic præmissa, speciales sub eis gubernatores haberent.

54. Not. præterea, idem dicendum de Rectoribus Ecclesiarum inferiorum, seu Parochis, & quod dicimus de Parochis, intelligit etiam de Vicario perpetuo. Feling. *in c. perpetuus. 12. de fid. Instrum. n. 4.* Nam talis titulum beneficii obtinet. *c. Michaël. 13. de filijs Presbyt.* hinc de ipso sicut de aliis Curatis, & beneficiatis sentiendum. *Clement. unic. de Offic. Vicar. Ad Tom. II.*

mitti tamen deberet principalis Rector, si liti assistere velit; quia si Vicarius litem perderet, & necessariam sustentationem non haberet, illi Rector providere deberet, consequenter etiam hujus interest, ut rectè agat, si tamen Rector ignoraret, acta tenerent: *Pirthing. cit. de Judicijs n. 36.* Et hoc etiam probabiliter procedit de obedientiariis, seu his, qui ad nutum Superioris sunt amovibiles, ut notavimus *supra.*

Not. 2. Episcopum in iudicio agere posse nomine Ecclesie Parochialis suæ diæcesis pro juribus, & rebus ejus, licet habeat Parochum *c. ult. de success. ab intestat.* est enim Ordinarius Pastor omnium Parochiarum suæ diæcesis, & omnes diæcesani sunt Parochiani ipsius Episcopi, *c. ult. de sepultur.* Sitamen de jure decimarum, vel reddituum Parochialium agatur, Parochus Episcopo præferendus est; nisi Parochus negligat; vel administratio æquè immediate ad Episcopum pertineat; eò, quod & ipse tertiam, vel quartam partem decimarum percipiat; sic enim etiam ipsius interest.

ARTICULUS III.

An Judex possit cogere partes ad personaliter comparandum in iudicio.

56. **R**esp. id regulariter non posse Judicem etiam à Papa delegatum ex *c. Juris 1. h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. in generali Concilio Lugdunensi ait: juris esse, ambiguum non videtur, *Judicem delegatum (qui à sede Apostolica mandatum ad hoc non receperit speciale) jubere non posse alteram partem coram se personaliter in iudicio comparere;* nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro juramento calumnie faciundo, vel alias juris necessitas partes coram eo exegerit personaliter præsentari. Ex hoc patet, à dicta responsione quosdam casus excipi. 1. Si ad hoc judex habeat speciale mandatum. 2. Si causa sit criminalis, criminaliter intentata; quamvis admittatur procurator, si agitur civiliter, & agatur de crimine. gloss. *in c. juris. V. criminalis.* deinde si præstandum est juramentum de veritate dicenda, vel citentur ad respondendum positionibus, articulis, & interrogatoriis. 3. Si sit præstandum juramentum calumnie

ca'umniz à partibus principalibus. 4. Si alia juris necessitas id exigat. *c. juris citat.* Not. tamen, quòd citatus ad *personaliter* veniendum se possit excusare per Procuratorem allegatà justà causa impedimenti ad non comparandum. Barbof. *inc. juris n. 4.* Quid verò dicendum de mulieribus, constat ex dictis. à n. 19.

57. Præter hæc not. cùm partes vocantur ad *personaliter* comparandum in iudicio, non expressà causà in citatione, eam non valere. Pirhing. *de Judic. n. 45. in fine*; nam cùm Judex non possit inc' finitè procedere citando partes, ut partes sistant se *personaliter* iudicio; & quandoque possint per se, vel procuratorem comparere, constare illis debet citationis causà, ut super hoc deliberare possint, quod ipsis jure concessum est. Et quamvis textus in *c. Juris cit.* loquatur solum de iudice *delegato*; non *ordinario*; nihilominus etiam de hoc idem dicendum est ex eadem causa: De illo enim propterea *cit. loc.* mentio fit, quòd de hoc dubitaretur, titulo delegationis factæ à Papa, cui omnia, etiam ad *personaliter* citandas partes, concessa sunt: verùm cùm jurisdictio, etiam delegati à Papa, non extendat se nisi ad ea, sine quibus causa commissa expediri non potest; meritò textus resolvendo dubium ait, delegatum non posse, nisi in casibus ibidem exceptis.

58. Si autem quæras, an personæ principales ipsum factum, quod est causa litis, per se ipsas proponere debeant in iudicio? Resp. quæstionem resolvi *c. Pastoralis 14. h. r.* ubi Innocentius III. rescribens Helienfi Episcopo; statuimus præterea, inquit, *ut principales persona, non per advocatos, sed per se ipsos factum proponant*, nisi forte sint adeo *indiscreta*, ut earum defectus, de iudicis sententia, per alios suppleatur. Nam veritas ab illis, qui eam meliùs sciunt, exquirenda est. *c. scriptum. De elect.* quisque autem meliùs scire præsumitur factum proprium. *c. ab excommunicato, de rescript.* id, quod etiam ad litis contestationem extendit Abbas apud Pirhing. *de Judic. n. 46. 2.* ad interrogationes iudicis, & positiones adversarii. gloss. *in c. 1. de confess. in 6. v. statumus.* Hoc tamen non obstante concessum est in casu, quo partes proponunt factum, posse illis adesse advocatum, ut caveat, ne Cliens decipiatur per cavillosam, obscuram, aut æquivocam positio-

nem; item, ut quoad ea, quæ ad jus spectant, & in jure consistunt, cum dirigat. Abbas *in c. juris n. 7.*

59. Data tamen responsio limitatur ab ipso textu; ut non procedat in simplicibus; ac illis, in quibus foret præsumptio, quòd de levi caperentur in respondendo, vel circumvenirentur dolosis quæstionibus. Nam justum auxilium, se juvare non valenti, jure naturali concessum est. Unde illis tali casu advocatus, vel Procurator omnino concedendus est, (quamvis Gutierrez in praxi contrarium observari dicat *l. 1. præf. q. 59. n. 2.*) ita Menochius *de Arbitrat. casu 193. n. 4.* Mascardus *de probat. conclus. 1179. n. 56.* & alii; id, quod etiam obtinet quoad mulieres, propter sexus imbecillitatem. Quia tamen textus *cit. c. 14.* exigit; ut in hujusmodi casu defectus *de iudicis licentia* suppleatur, censet Menochius *consil. 84.* non sufficere mandatum, advocato datum generaliter, vel etiam specialiter; sed requiri mandatum in individuo; ne scilicet, ut quandoque contingit, advocatus clientem per inventiones subtiles avertat à manifestanda veritate.

60. Not. præterea, textum, qui excludit Advocatum in narratione facti, & responsione ad positiones, non procedere de his, quæ ad jus spectant, & in jure consistunt. Et quoniam partes in formando libello, in interrogatoriis, & articulis probatoriis, aliisque ad jus spectantibus faciliè errare possunt; ea omnia expedire potest advocatus; cùm hæc non sint de facto, sed jure. Et quoniam ex facto jus desumendum est; meritò Advocatus à Cliente suo super eodem, & omnibus circumstantiis informandus est, ut notat Hostiensis *cit. c. 14. v. non per advocatos.* Nam varietas jurium nascitur ex varietate factorum.

61. Not. 2. in ipso textu apertè dici, factum exponendum esse: *non per advocatum*, ut distinguatur à Procuratore, Cum enim iste litem contestetur, & dominus instantiæ litis efficiatur per *c. 1. de Procuratoribus in 6. §. licet*, ibi (licet autem à Procuratore post litem contestatam ab eo possit, cùm dominus litis sit effectus, dari alius Procurator) & consequenter etiam in personam Procuratoris sententia ferenda sit, adeoque tunc censeatur Principalis; hic autem etiam ea, quæ in facto consistunt, pro-

proponere possit, non est, unde textus exponatur de Procuratore.

61. Not. 3. dubitari posse. an exceptio, quæ continetur in textu ibi: *nisi forte sint adeo indiscreta, ut earum defectus de Judicijs licentia per alios suppleatur*, intelligenda sit in ordine ad advocatum (ut scilicet in narratione facti tali casu exceptio intervenire possit) vel in ordine ad Procuratorem? Pirhing. h. t. n. 47. censet contra gloss. *fm.* illam debere accipi de Procuratore, per quem responderi potest in iudicio, etiam quoad ea, quæ in facto consistunt. Sed, cum exceptio, proprie loquendo, per quam aliquid conceditur, in casu excepto, cadat super eundem, de quo prius sermo fuerat in generali regula, unde sit exceptio; in ea autem expressè sermo sit non de Procuratore, sed Advocato, ut fateatur Pirhing. *loc. cit.* n. 47. & notandum hic, rectius intelligitur de Advocato, non Procuratore.

62. Si quæras 2. an, qui adversario petenti partem ad iudicium introduci, & cum eo experiri, promissit se litigaturum coram Judge, censerit possit contumax, si deinde ad litigandum non compareat in iudicio? Quæstio hæc proposita fuit in CC. Africano, ut habetur in c. De Quod vulgo, 1. h. 1. à quo responsum est, placuit, ut nullus eidem communicet, donec satisfactione præmissa fuerit absolutus. Nam adimi sibi Episcopatum, ante causæ ejus exitum, nulli potest de jure videri. Ex quo textu deducitur, talem omnino censerit contumacem, licet Episcopus sit, prout erat in casu hujus capituli, & posse propterea etiam excommunicari, ut liquet ex illis verbis: *nullus eidem communicet*; licet ante exitum causæ privati non debeat Episcopatu.

63. Pro hujus capituli explicatione not. 1. textum probabilius intelligi de casu, quo dicta promissio cum adversario litigandi facta sit coram Judge sedente pro tribunali; hoc enim exigitur ad gravitatem contumaciæ (consurgentis ex contemptu Judicis) pro qua tam gravis censura irrogatur. Nec obstat, quod L. si convenerit. 18. ff. de jurisdictione. dicatur, quod, qui promittit coram certo Judge litigare, si discesserit, ac poenituerit, non teneatur coram eo comparere: nam in hac re distinguendum est, an quis merà conventionem pro-

Tom. II.

miserit litigare coram Judge suo: an coram alieno? & dicendum, non dari locum poenitentiae in primo; secus in secundo casu; hujus discrimen, & ratio est, quia, ut coram alieno Judge conveniatur, titulo factæ conventionis cum adversario, necessarium est, illi Jurisdictionem prorogari in ejusmodi promittentem, alias eidem non subiectum; quod non fit re adhuc integrâ, & solo privatorum pacto, cum ejusmodi pactionibus saltem de jure civili non datur actio: at in primo casu opus non est Judici jurisdictionem prorogari; cum ponatur esse proprius; ergo.

64. Not. 2. etsi prius, quam quis ex communicetur, regulariter prærequiratur trina monitio canonica; id tamen nec spectato jure, nec ratione desiderari in casu contumaciæ, si manifestè constet, post primam citationem citatum ad iudicium nolle comparere; talis autem contumacia manifesta fuit in præsentis casu, de quo *cit. c. 1.* ergo. Min. est ex textu ibi: *interrogatus, an cum illo vellet experiri, primo promissit; & alterâ die respondit, hoc sibi non placere, & discessit.* Mai. prob. & 1. non requiri de jure, constat ex c. Venerabilibus. 7. §. porro de sent. excommunic. in 6. ibi: *idem est, etiamsi quempiam pro præsumpta contumacia (videlicet, quia citatus præfixo sibi termino non comparuit) excommunicatione constringat; & c. reprehensibilis 26. de appellat.* ubi textus vocat reprehensibilem consuetudinem in quibusdam partibus inductam, ut, cum aliqui appellaturi in suis causis existimantur, nullâ penitus admonitione præmissâ, suspensionis, vel etiam excommunicationis sententiâ feriantur; ut videri potest in lectione textus integri; ergo secus dicendum, quando post primam citationem ad iudicium, seu nominationem adhuc manifestè contumax manet, & venire recusat: deinde nec ratione: nam trina monitio prærequiritur; ut agnoscat contumacia; ergo ubi de illa manifestè constat, necessaria non est.

Not. 3. licet in casu primi hujus capituli manifestè contumax dicatur à communionem removendus, seu, ut aliqui volunt, excommunicandus; non tamen Episcopatu privandus ante exitum causæ, nihil tamen in consequentiam dici. Quia licet excommunicatio major privet lucro fructuum pro tempore, quo quis infordebit

C 2

in ea;

in ea; & habilitate ad novum officium obtinendum; imò & jurè optandi aliud (quorum primum habetur in c. *Pastoralis* 53. 2. *verùm de Appellat.* alterum c. *Pastoralis* 7. de *Cleric. excommunic.* tertium ex eod.) non tamen propterea amittit beneficium prius obtentum, nisi ab officio sit suspensus in perpetuum; quod non fuit in præfenti casu.

ARTICULUS IV.

De causis, quæ in iudicium veniunt.

65. **C**UM in omni iudicio præter partes necessarius sit Iudex; non autem Iudex quilibet de qualibet causa iudicandi auctoritatem habeat: quæstio est de quibus causis Iudex secularis, vel Ecclesiasticus, cognitionem assumere, ac exercere iudicaturam jure valeat? Et quamvis P. Thomas Sanchez l. 6. *consil. moral. c. 3. dub. 8.* causam *iudicialem* (per quam intelligit materiam, & originem alicujus negotii, nondum patefactam discussione, & examine) rectè dicat, esse duplicem, *Ecclesiasticam* (quæ ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet, vel quia crimen est Ecclesiasticum, vel persona est Ecclesiastica) & alteram *secularem*, quæ scilicet ad Iudicem secularem pertinet: adhuc tamen inexplicatum manet, & valde controversum, quæ sit materia, & negotiorum origo pertinens ad hunc, vel illum Iudicem: & tribunalibus Laicorum plerumquè prætendentibus omnem quæstionem *de temporalibus*, sive sit *secularium*, sive *Ecclesiasticarum* personarum, pertinere ad suum forum. Ut igitur id amplius exponamus sit.

§. I.

An Iudex secularis cognoscere, ac terminare possit causas Ecclesiasticas?

66. **S**UPPONENDUM interim, juxta Pirhing. h. t. *sect. 2. c. 1.* quòd, loquendo generaliter, negotia, & causæ Ecclesiasticæ dicantur, quæcunque ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas spectant: & harum causarum aliæ sint merè, ac propriè spirituales, quæ propriè spectant ad spirituale regimen Prælatorum Ecclesiæ, ut sunt causæ beneficiaræ, decimales, matrimo-

niales; & universim omnes illæ, quæ vel ad Dei cultum, vel ad spirituales animarum salutem, & à peccatis curationem spectant: aliæ sint *temporales*, ut quæ sunt de Ecclesiasticorum dominio, contractibus, testamentis, ac similibus, & rursus aliæ *civiles*; aliæ *criminales*. Abb. in c. 2. h. t. n. 2. not. 3. & alii Canonistæ communiter, Gonzalez autem in c. 2. h. t. n. 8. distinguunt causas, & negotia *Ecclesiastica* in *merè Ecclesiastica*; in *Ecclesiastica*, & *mixta*. Causas verò *merè Ecclesiasticas*, sicut spirituales, vocat causas sacramentorum; *Ecclesiasticas*, quæ tam jure canonico, quam Imperatorum sanctionibus iudicio Ecclesiæ sunt reservata, ut causæ Ecclesiarum, vel personarum Ecclesiasticarum; cap. *quoniam de immunit. Eccles. l. 6.* Trident. *sess. 24. de reformat. c. 20. & sess. 25. c. 3. mixtas*, quæ licet naturâ suâ sint temporalia, eorum tamen cognitio ad utramque spectat jurisdictionem, tam secularem, quam Ecclesiasticam contra Laicos; unde præventioni in eis locus est, ut plura adducentes de his causis tradunt Martha *de jurisdic. 2. p. c. 1.* Bobadilla *lib. 2. polit. c. 17.* Salas *de legibus tract. 14. q. 96. disput. 9. sect. 5.* Sanchez *de matrim. l. 3. disput. 54.*

Supponendum 2. causas, & negotia *Ecclesiastica* paucis rectè posse dici ea, quæ gaudent immunitate, ac exemptione à foro Laicorum. Nam hoc ipso, quòd favore Religionis, & Ecclesiarum, aliquòd exemptum sit à foro seculari, necesse est, quòd pertineat ad forum Ecclesiasticum per dicta *sup.* Quia vero ex his quædam exempta sunt *ex natura rei*, ut causæ sacramentorum; quædam jure divino positivo, quædam solum humano, ut diximus l. 1. t. 2. *de constitut.* ideò non omnia eà vi censentur inter merè Ecclesiastica. Advertendum autem *immunitatem* Ecclesiasticam aliam esse *personarum*; aliam esse *rerum*; aliam *locorum*; aliam *causarum*, & quamlibet harum immunitatum tractari in hoc volumine decretalium. Nam de immunitate *personarum* agitur in c. *Clerici*; h. t. de immunitate *rerum*, & *locorum* c. *non minus* & c. *magno perè, de immunitat. Eccles.* de immunitate *causarum*, in c. *Decernimus 2. h. t.* suppon. 3. in dicto c. *Decernimus*, generaliter statui, ne Laici *Ecclesiastica negotia* terminare præsumant

Tex-

Textus sic habet: *Decernimus autem, ut laici Ecclesiastica terminare negotia non presumant; & Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati, de negotiis Ecclesiasticis, vel de aliis, quæ spiritualia esse noscuntur, aliquorum laicorum judicio, non disponant; nec propter eorum prohibitionem Ecclesiasticam dimittant justitiam exercere.*

68. Ex hoc textu sequitur 1. causas rerum, locorum, & personarum Ecclesiasticarum exemptas non posse cognosci, seu terminari à Judice Laico, seu seculari. Si enim est exempta, est eo ipso *Ecclesiastica*; sed causas Ecclesiasticas terminare non potest Judex laicus; ergo. dixi *terminare*. Nam, ut rectè notat Gonzalez *in cit. c. Decernimus, n. 3.* textus in vera lectura habet *terminare, non judicare*, ut ponit Raymundus. Nam *tractare negotium*, fieri potest vel *ministerialiter*, vel *jurisdictionaliter*. Tractare *ministerialiter* negotia Ecclesiastica possunt Laici, vel tanquam Procuratores, ut *c. 1. de pactis in 6*; vel ut Notarii teste Fermosino *hic q. 12.* vel tanquam assessores, aut consultores, ut notat Diana *p. 4. tr. 4. resolut. 38.* vel tanquam delegati à Papa, sed non inferiore; gloss. *in cit. c. 2. V. presumant*: non autem *jurisdictionaliter*, per clarum textum in dict. *c. Decernimus*.

69. Dices textum in *c. Decernimus* procedere de causis *merè* Ecclesiasticis, seu spiritualibus; non autem aliis propter rationes in contrarium, quas referemus à *n. 96.* & consuetudinem, & praxim hoc ævo contrariam, præsertim in causis civilibus, & concernentibus temporalitatem bonorum, quæ possidentur etiam ab Ecclesiasticis; & in his contra exemptionem juris, solum humani, dudum esse præscriptum à Tribunalibus Laicorum. Resp. nego anteced. Nam non tantum res *merè* spirituales, sed etiam ipsæ Ecclesiæ, personæ Ecclesiasticæ, & quæcunque bona ad eas pertinentia exempta sunt ab omni Laicorum jurisdictione, jure non tantum Ecclesiastico, & civili, sed etiam probabilius divino, saltem *tradito*, & per Ecclesiam explicato, ut fuse tradidimus *l. 1. a. 10. q. 7.* præsertim §. 8. ubi etiam resolvimus ea, quæ in contrarium afferuntur.

70. Sequitur 2. Episcopos, Abbates, Archidiaconos, aliósque Prælatos Ecclesiasticos

(quo nomine propriè veniunt, qui jurisdictionem ordinariam habent, juxta gloss. *fin. in c. Decernimus, & Abbas ibid. n. 16.*) non debere de negotiis Ecclesiasticis, præsertim spiritualibus disponere secundum judicium Laicorum; nec intermittere exercitium Ecclesiasticæ jurisdictionis per eorundem prohibitionem, vel oppositionem, ut definitur in *cit. c. 2. supr. n. 67.* Per hoc tamen non negatur, quòd laici possint tractare negotia, & causas temporales Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum ministerialiter, ut diximus *n. 68.* quin illis super ipsos Clericos præeminentia, gubernatio, vel potestas conferatur; ita Sylvester V. *Laicus q. 1. Abbas in c. 10. h. s. n. 18.*

Sequitur 3. quòd Judex Laicus auctoritate propriâ, & tanquam Judex Ordinarius, non possit cognoscere causas judiciales Clericorum merè civiles, quando illæ causæ versantur inter Clericos, vel contra Clericos, aut Ecclesias *c. 2. hic*: potest tamen id *ex commissione*, seu delegatione Episcopi, vel alterius Prælati Ecclesiastici; quia Judex delegatus non utitur suâ, sed auctoritate delegantis *L. 1. §. 1. ff. de officio ejus, cui mand. est jurisdic.* quod tamen non procedit de Universitate causarum; hæc enim ei delegari non potest; cum æquiparetur *ordinaria*: Felinus *in c. 2. cit. n. 1.* Excipe tamen causas feudales. Nam has cognoscet dominus directus, esto Clericus sit ejus Vassallus, & ille Laicus, *c. caterum. De Judicijs.* Excipe 2. nisi bona quæ habent, cum eo onere transierint ad Clericos, vel Ecclesias, ut maneant sub eodem foro, sub quo prius erant. Molin. *tr. 5. d. 6. n. 6. Gail. l. 1. observ. 30. n. 1. Layman in c. 5. de Judic. à n. 2.* Excipe 3. nisi principaliter agatur contra Laicum in causa evictionis rei emptæ à Clerico, cujus hic esse debet defensor necessarius, tanquam venditor. *L. Venditor 49. ff. de Judic. cum gloss. V. Judicijs.* Excipe 4. nisi Clericus alieno nomine conveniatur ratione officii. v. g. Tutoris &c. Pirhing. *de foro compet. n. 91. q. Præterea.* Excipe 5. nisi Clericus Laicum conveniat coram Judice seculari, & reconveniatur in causa civili coram eodem Gail. *cit. observ. 37. n. 6.* Sed an huic exceptioni locus sit? Dicemus *infra tit. 4. de mutuis petition.*

71

§. II.

An. Judex Laicus auctoritate propria, possit cognoscere directè de jure Patronatus?

72. **R**esp. negativè, ex c. *quantò*, 3. h. t. ubi Alexand. III. Regi Anglorum scribens, quantò, inquit, te divina gratia, summaque providentiâ majoris gratiæ privilegio decoravit, tantò viros religiosos majori debes charitate diligere, & in justitiis suis manutenere propensius, & favore, ut legitur in toto textu apud Gonzalez. Nam, ut habet textus. *Causa patronatus Ecclesiarum ita junctæ sunt, & connexæ Ecclesiasticis causis, quod non nisi Ecclesiastico judicio valeant definiri, & apud judicem Ecclesiasticum solummodo terminari: cui cononat Clementina dispendiosam, eod. in quantum scilicet inhibet dispendiosam prorogationem litium ex subtili ordinis judicarii observatione satis frequenti apud Judices Laicos. Nec obstat ratio contrariorum opponentium, jus patronatus, quomodocumque consideratur, esse temporale. Nam si dotationem, aut Ecclesiæ constructionem attendamus; ipsæ temporales res sunt: si jus ipsum, quod Patronus consequitur, videlicet jus honoris in processione, alimentorum, & præsentandi; etiam temporalia esse quis ambigit? Quare laici, qui spiritualia possidere, & obtinere non possunt, cap. *Messana*, capit. *sacrosancta, de elect.* cap. *causam, de præscript.* jus patronatus possidere valent, sive jure hæreditario; sive alio. cap. 1. & 2. *de jure patron.* Clement. *si plures, eod. titul.* sive præscriptione, ut docet Barbosa 1. parte *de præscript.* 1. princip. *quæstion. 9.* Covar. *in regul. possessor, 2. part.* §. 10. Igitur, si omni respectu jus patronatus temporale est, & à laicis possidetur, ejus causæ cognitio ad Judicem laicum, non verò Ecclesiasticum spectat. Augetur hæc difficultas ex cap. *significavit 41. de testibus*, ubi Sabinensis Magistratus cognoscit de jure patronatus. Igitur non rectè asserimus ejus causæ cognitionem ad laicum spectare non posse.*

Hæc, inquam, ratio non obstat. Nam Laicus possidet jus Patronatus solum ex gratia, & beneficio Ecclesiæ, nimirum potestate, in qua eos hæctenus Ecclesiæ susti-

nis, ut dicitur. c. *quantò, cit.* pro cuius explicatione notandum, olim constructi, vel dotanti Ecclesiæ nullum jus inde consequens fuisse; totumque jus instituendi Prælatos, & alia, ratione Ecclesiæ competentia retinuisse Episcopum proprium, qui eam consecrabat; constat ex 16. q. 7. c. *omnes 10.* ibi: *omnes basilica, qua per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum Regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus territorio posite sunt.* Quia verò ex hoc fiebat, quòd Laici minùs promptè vel ædificarent, vel dotarent Ecclesiæ; intuitu majoris boni statuerunt; ut illis in ejusmodi Ecclesiis jus patronatus concederetur.

Hinc factum, quòd Galafius Papa illis 1. 73. concesserit honorem in processionibus, ut habetur 16. q. 7. c. *pia mentis 26.* ubi scribens ad Senccionem Episcopum, pia mentis, inquit, complectenda est devotio, quæ se Julius nobis in re Juliana, sui juris fundasse perhibetur Ecclesiæ, quam in honorem S. Viti confessoris, ejus nomine, cupit consecrari. Hanc igitur frater charissime, si ad tuam diocesim pertinere non ambigis; ex more convenit dedicari, collatâ primitus donatione solenni, quam ministris Ecclesiæ destinasse se præfati muneris testatur oblator, *sciturus sine dubio, præter processiones, aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum.* id, quod etiam habetur e. immediate sequenti.

Sub hoc Patres Concilii Toletani IV. ut 74. refertur 16. q. 7. c. *quicunque 30.* concesserunt, ut Patrono egeno alimenta præstarentur; ac tandem etiam jus præsentandi, ut habetur ead. causa, & *quæstion. c. Decernimus*; id quod deinde confirmatum est in c. *Nobis de jure Patronatus*; & Trident. *sess. 25. de reform. c. 9.* ibi: *sicuti legitima patronatum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est: sic etiam, ut hoc colore beneficia Ecclesiastica in servitutum, quod à multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum.* Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit Sancta Synodus; ut *titulus juris patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur.* Ex his clarè constat jus

jus Patronatus esse *merum beneficium*, & *gratiam* ab Ecclesia fundantibus, & edificantibus, vel dotantibus Ecclesiam concessam.

75. Not. 2. in quaestione, an jus patronatus sit *spirituale*, vel *temporale*? esse naturam suam *spirituale* affirmavit à Joc, Andrea, Abbat, Siculo, Suarez l. 4. de Relig. c. 28. n. 7. & alii apud Gonzalez in c. *quando* 3. h. s. n. 8. Felinus autem, Panormitanus, & complures alii cum communi sentent. Theol. & D. Thoma. 2. 2. q. 100. d. 4. probabiliter volunt esse *connexum spiritualibus*, id, quod etiam dicemus suo loco de jure patronatus; cujus ratio est, quia licet in se sit aliquid temporale, supponit tamen principium spirituale; (nempe jurisdictionem Ecclesiasticam) cujus beneficium conceditur, ut dictum est; & tendit ad finem spirituale, nimirum, ut eligantur, ac presententur ministri Ecclesiastici, qui spirituale ministerium, & divina officia in Ecclesia peragant. Unde ait D. Thomas, *antecedenter esse annexum spiritualibus*, sicut vasa, & ornamenta; quæ, quia præparatoria sunt, sacra dicuntur, cap. *vasa*, cap. *Vestimenta*, de consecratione, *distinctione* 1. sic jus patronatus dicitur spiritualibus annexum, quia præparat ad actiones spirituales, quamvis relatè ad causam, ex qua descendit, dici possit *connexum consequenter*; quibus positis:

76. Resp. ad argum. in n. 72. jus patronatus in se quidem esse aliquid *temporale*; sed non *merè*, cum connexivè sit spirituale, ut dictum est. Laicis autem nulla potestas est disponendi de spiritualibus, non solum talibus per naturam, sed etiam per annexionem ex n. 66. præsertim cum jus patronatus sit Ecclesiæ Beneficium, & privilegium; in similibus autem pertineat causæ cognitio ad concedentem. Unde, speciale est, Ecclesiæ solius gratiâ, quod à Laicis possideri possit, ac in eos transire cum universitate rerum, quibus annectitur, ad c. *significavit*. 41. de testib. Resp. dictum capitulum non loqui de magistratu laico, sed Judice Sabinæ, seu Sabinensi, qui erat Ecclesiasticus, ut notat Gonzalez in cit. c. 41. n. 1. ex *historia Sabinensi*, ubi habetur, Episcopum Sabinensem, qui communiter est S. R. E. Cardinalis, & plerumque in urbe habitat, eoque tempore, quo Innocentius II. scripsit di-

ctum canonem in c. 41. ad Judicem, Sabinæ Vicarium, non *laicum*, sed *Ecclesiasticum*. Hinc etiam respondetur ad textum in c. *examinata*, de *confirm. util.* c. 1. de *jure patron.* c. cum *Bertholdus*, de *re judicat.* c. 7. & 13. de *jure patron.* ibi non agi de jurisdictione competente in causis juris patronatus, sed potius de modis illud consequendi; v. g. an fundum iure dederit &c.

Quod autem adducitur ex c. *filii*, vel *nepotibus*, 16. q. 7. ubi, cum agitur de jure patronatus, dicitur: *Regis hæc auribus intimare non differant*; ex quo aliqui deducunt, laicos posse causas juris patronatus terminare, non probat intentum. Tamen enim aliqui velint, non principaliter ejusmodi causam posse deferri ad Regem, sed solum propter omissionem, vel vim Judicis Ecclesiastici, ut notat Gonzalez in cit. c. 3. h. s. n. 3. & videtur colligi ex textu c. *filii* ibi: si autem *Metropolitanus talia gerat* (nimirum impediatur, ne filii, & nepotes decenter commoneant, si præviderint, sacerdotem, seu ministrum aliquid ex oblatiis rebus defraudare) Regis hæc auribus *intimare non differant*: rectius tamen dicitur, in tali casu id solum contingere ex delegatione Pontificia; non autem jure regio; cum textui in c. *filii*, qui solum est Concilii Toletani IX. clare opponatur decisio recentior in c. *quando*. 3. h. s. quæ utique prævalet juri antiquo.

78. His addi possunt, quæ tradit Layman in cit. c. *quando* dicens: ex eo rectè deduci, causam juris patronatus per se pertinere propriè ad tribunal Ecclesiasticum (cum saltem connexivè sit spirituale, tanquam ordinatum ad spirituale beneficium collationem, & à Laicis possideatur solum ex gratia Ecclesiæ, nec sit ita laicis concessum, seu ab Ecclesia in laicos translatum, quò minus adhuc ejus dispositioni subiaceat) per accidens tamen, & consequenter, seu indirectè etiam Judicem secularem posse de illo cognoscere. 1. Si vendite cum omnibus juribus castro, cui annexum est jus patronatus, sententiam ferat, ut possessor emptori tradat castrum cum omnibus juribus, & patronatu. 2. Si Princeps aliquem, ob crimen perduellionis, condemnet, ac bonis omnibus exuat in pœnam delicti: tali enim casu etiam indirectè Reus exuitur jure patronatus, si annexum sit bonis

bonis confiscatis; qualiter nimirum etiam indirectè vendi, & emi potest cum universitate bonorum, c. ex literis, de jure Patronatus.

¶ III.

An Judex Laicus possit cognoscere de jure sepulchri?

79. **Q**uestio fieri potest, siue agatur actione reali (ut, si quæretur, an alicuius factæ sepulturæ competat in tali loco Ecclesiæ, vel cæmeterii?) vel personali, puta, si Titius Cajo promissit, quod ipse, ac hæredes majorum suorum tumulari possint. Ad 1. respondet Layman l. 4. moral. tr. 9. c. 2. n. 9. §. sexta notandum, quando de jure sepulturæ agitur judicio petitorio, seu causâ proprietatis, neminem Catholicorum negare, solius Judicis Ecclesiastici esse, cognoscere, ac judicare; per c. 2. h. t. de Jud. c. 3. eod. cum jus sepulturæ sacræ fundetur in potestate Ecclesiæ spirituali; c. causam 2. Qui filii sint legitimi.

80. Si autem jure possessorio, controversia est inter Juristas. Nam Selva p. 1. de beneficiis q. 7. n. 12. Petr. Greg. Tolos. de benefic. c. 40. n. 10. & alii apud Covarruviam in pract. qq. c. 35. Nicol. Garciam, p. 1. de beneficiis c. 2. n. 50. existimant, laicum etiam Judicem in causa possessionis v. g. beneficii, adipiscenda, retinenda, aut recuperanda, competentem esse. Probant ex doctrina gloss. in c. literas, de juramento calumnie; dicentis: possessionem rei spiritualis, non spiritualementem, sed temporalem esse; quia non in jure, sed in mero facto consistit; quod nequè in l. naturaliter §. 1. de acquirenda possess. dicatur, quod proprietas nihil commune habet cum possessione.

81. Sed contrarium probabilius est, ut docet Covarr. in pract. qq. c. 35. Gutierrez l. 1. Canonic. qq. c. 34. n. 22. Garcia p. 1. de benefic. c. 2. n. 5. Azor. p. 1. l. 5. c. 14. q. 1. & alii. pro quo supponendum, Laicum incapacem esse proprietatis juris spiritualis, consequenter etiam possessionis, ut deciditur c. causam, 7. de præscript. ibi: cum Laici decimas detinere non possunt, eas nulla valeant præscribere ratione; intellige seclusâ concessione Ecclesiæ, ex quo textu sequitur, jus spirituale nec præscri-

ptione accipi posse à Laicis, cum illud nequeant possidere, sine quo non procedit præscriptio; quod accipere de possessione civili, & juridica; quamvis quandoquè laici, facto solum, occupent, & detineant; sed injustè. Hinc Gregorius VII. in CC. Lateran. relatus in c. 16. q. 1. Decimas, 1. ibi: Decimas, quas in usum pietatis concessas esse, Canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolicâ auctoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æterna damnationis periculum incurrere.

Suppon. 2. causam proprietatis, sicut & possessionis circa spiritualia ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinere. Nam, ut ait Gregorius Pontifex, scribens Duci Sici-liæ (ut habetur c. 1. de causa possessi) legali provisione decretum est, tam momenti, quam proprietatis causam, sub uno eodemque debere cognosci, & c. nulli, 10. de Judiciis, ubi habetur, quod causa continentia, seu causa plures partes, vel quæstiones in se continens, dividi non debeat; & punitendum esse, qui alium deinde super proprietatis quæstione judicem postularit. Ratio reddi debet, ut causa citius expediat; nam, qui de possessione cognovit, facilius proprietatis causam definit. Quibus positus.

Probatum responso: ejusdem judicis est cognoscere, ac judicare in judicio possessorio, & petitorio; ergo, qui nequit cognoscere super petitorio, seu proprietate juris spiritualis; nequit etiam super possessorio, seu possessione ejus ex n. præcedent. Sed Judex Ecclesiasticus nequit cognoscere super petitorio, seu proprietate juris spiritualis ex n. 79. ergo nec super possessorio, seu possessione juris spiritualis; jus autem sepulturæ sacræ, est jus spirituale, competens nimirum juri solum Ecclesiastico, cuius beneficio, & concessione à laicis possidetur; ergo. Confirmatur, Judex laicus non potest judicare de jure, cuius nec quoad proprietatem, nec quoad possessionem capaces sunt Laici, seclusâ indulgentiâ Prælati Ecclesiastici; sic enim numerari nequit inter merè temporalia; ad quæ solum extendit sese jurisdictio laica; sed laici juris spiritualis nec quoad proprietatem, nec quoad possessionem capaces sunt seclusâ

clufa indulgentia Prælati Ecclesiastici, ex n. cit. ergo

82. Ad rationes contrarias ex Gloss. in c. *litteras*, de juramento calumnia. Resp. 1. possessionem juris spiritualis posse dici *temporalem in se*; non autem *connexivè*, ut probatum est; ex hoc autem non sequi, eam cadere sub iudicium laicorum, ex n. præced. ex eo autem, quod consistat *inmero facto*, non probatur intentum; cum aliud sit factum, quod tendit ad accipiendum jus possessionis, *cujus quis capax est*; aliud, quod tendit ad jus possessionis, *cujus quis incapax est*; unde, cum possessio facti tendit ad possessionem juris spiritualis (quoniam hujus incapaces sunt Laici ex n. cit.) nequit super eo Judex laicus cognoscere vel in peritorio, vel possessorio propter rationes à n. 31. Et quamvis verum sit, proprietatem nihil commune habere cum possessione (*quoad acquisitionem*) cum separari possint, ut ex se constat; secus tamen est *quoad causæ cognitionem* ex n. 31. *cujus ulterior ratio est*; quia cum *super privilegiis sedis Apostolica causa vertitur*, nolumus de ipsis per alios judicari, ut ait Innocentius III. c. *Cum venissent* 12. h. t. at jus Patronatus, ratione fundationis, & dotationis, Laicis concessum in Ecclesiis, & Capellis (aut in quovis alio jure spirituali habendo, vel retinendo) est gratia, & privilegium illis concessum ab Ecclesia, ut dictum est supra, & tenet Jo. Bapt. de Luca tom. 3. *de jurisdict. p. 1. de preeminentiis, discur. su 12. n. 6. ergo.*

83. Dixi, cognitionem causæ de possessione juris, seu juridicæ, circa rem spirituales, quæ consistit in facto, tendente ad acquisitionem, retentionem, vel recuperationem juris spiritualis, esse solius Judicis Ecclesiastici; nam si sit mera possessio facti, non autem possessio juris, complures tenent esse causam mixti fori, puta, si Laicus Clericum vi deturbaret de possessione beneficii, decimarum Clericalium &c. quod quidem rectè dicitur, si non misceatur quæstio de possessione juris, vel proprietate circa jus spirituale. Nam si laicus conventus super solutione decimarum allegaret esse *Laicales, non Clericales*, tangeretur ipsa proprietas, seu jus spirituale decimarum, consequenter non ad laicum, sed ad Ecclesiasticum Judicem pertineret.

84. Ex hoc sequitur, si quæstio sit *meri facti* Tom. II.

(v. g. si Laicus injustè recusaret solvere decimas, vel cum injuria personali impediret Clericum ab usu juris patronatus, funeris, & similibus) super hoc posse illum etiam apud Judicem secularem conveniri; quia is non est judicaturus de jure, sed solo facto, seu injuria illata, qualiter fieret, si Laicus calicem consecratum abstulit, si personam Ecclesiasticam violavit, vel Ecclesiam invasit; sic Abbas in c. *litteras*, de juramento calumnia, n. 8. Gutierrez cit. c. 23. n. 42. Rebuffus tract. de decimis q. 10. n. 3. & alii; ubi tamen nota, nos loqui de quæstione *meri facti*, juxta dicta. Et hinc patet responsio ad 2. partem quæst. in n. 80. Sequitur 2. vitiosam esse consuetudinem Judicum laicorum, qui ortâ controversiâ inter laicum, & Clericum de decimis, (*an sint Laicales, vel Clericales*) cognoscunt de possessione Laici, dicentis esse *meri facti*, eamque laico contra Ecclesiasticos, si deprehendant, immemoriam esse, adjudicant. 1. quia tali casu quæstio principalis est de proprietate; cum ergo hæc pertineat ad Judicem Ecclesiasticum, ex n. 31. etiam ad eundem pertinebit causa possessionis, per n. cit. Deinde Laici decimas possidere non possunt absque titulo, seu legitimâ concessione: intellige juridicè, & utiliter ad præscribendum per expressum textum in c. *Causam*, relato *supr. n. 81.* ergo ad eum Judicem spectat, judicare de possessione, ad quem de titulo, seu legitimâ concessione; at hoc pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, ut docet Abbas in c. *Quando* 3. h. t. n. 11.

Dices: minorem esse veram, quando titulus est spiritualis; non autem temporalis. Sed notandum, responsionem Pontificis in c. *causam* (quod Laicus decimas non possit possidere possessione nimirum juridicâ, & utili ad præscribendum) non fuisse datam de jure decimarum, *quæ sunt spirituale est*, seu in spirituali titulo fundatum: siquidem tale jus laicus ille sibi haud arrogaverat: consequenter intelligi debet de jure decimandi, quatenus à spirituali titulo separatim temporale quiddam esse potest, laicum tale jus possidere non posse; intellige hoc; proprio veluti motu, & facultate: Quamvis possidere possit decimas separatas à titulo spirituali per legitimam Ecclesiastici Prælati concessionem.

Not. 2. aliquas res esse, quarum possessio invol-

851

861

D

invol-

involvit titulum proprietatis, id est, quæ propter legum, aut Sacrorum canonum dispositionem possideri juridicè non possunt, nisi sub sit titulus, seu jus habendi, ac detinendi: sic, liberum hominem possidere non possumus, L. *qui universos*, 30. *de possessionem. ff. de acquir. possessione*: sed cum titulo, quo in servitute redactus sit, homo possideri potest: Ita etiam se habent omnia spiritualia, ut à laicis possideri non possint, sine titulo *privilegii*, seu *concessionis legitime factæ à Pralato Ecclesiastico*, per quam laicus capax possessionis reddatur. Et ita de decimarum jure, quod & ipsum suapte naturâ spirituale est, tradit Gl. recepta in c. *ex parte* 14. *vers. commo- do destituta, ibid. de restitut. spoliatorum*. Abbas Panorm. in c. *in literis* n. 24. *cod. tit.* ubi etiam habet. Quod laicus non potest petere restitutionem decimarum, & aliarum rerum spiritualium, tanquam spoliatus sit, nisi probet titulum: quia sine eo non potest illud jus possidere.

87. Ex his colligitur, quòd possessio juris *circa rem spiritualem*, ut legitima sit, requirat titulum proprietatis, seu jus habendi, ac detinendi, ejusmodi rem spiritualem; hoc autem quoad rem spiritualem laicus habere non potest, nisi Ecclesiæ concessione; ergo nisi prius doceat de tali titulo, non tenet illius juridica possessio: de jure autem proprietatis, seu titulo ab Ecclesia concessio habendi, ac detinendi rem spiritualem, cognoscere, ac judicare pertinet ad solum Judicem Ecclesiasticum ex n. 81. ex quo tandem fit, jus spirituale præscribi non posse à laicis, cum illud possidere non possint sine consensu Ecclesiæ, possessione juridicâ ut dictum est. Unde quando dicitur: *quidquid Principis privilegio acquiri potest, posse quoque obtineri consuetudine, vel possessione immemoriali*, procedit solum in illis rebus, quas quis capax est possidere juridicè, etiam sine privilegio, seu legitima consuetudine; non autem, si leges ejusmodi possessionem impediunt, nulla bona fides, vel possessio temporis, etiam immemorialis, ferre potest, ut detur possessio juris, justo nimirum titulo. *Nam ubi lex impedit usucaptionem, bona fides possidenti nihil prodest* per L. 24. *ff. de usucap.*

88. Quæres an, quando Clericus convenit Laicum coram Judice seculari, petendo aliquid ab ipso; & laicus, ut se defendat, re-

convenit Clericum in ead. causa, talis Judex possit cognoscere, ac judicare etiam de causa reconventionis? Ad hanc quæstionem respondet Sanchez l. 6. *Consil. moral. c. 1. d. 1.* certum esse, quòd non possit renunciari, consequenter ab eo judice judicari, 1. si causa est spiritualis, vel ei annexa; ex n. 66. Deinde, si est temporalis, & criminalis, sed criminaliter intentata, ad corporale supplicium, de quo infrâ n. 93. si autem materia foret civilis? negativam tenent Panorm. in c. *at si Clerici, de Judic. n. 22.* & plures alii apud Sanchez *cit. n. 2.* qui tamen contrariam sententiam vocat communem, & veram; sed de hoc dicemus *in tit. 4. de multis petitionibus, à n. 532.*

89. Cæterum, si causa merè temporalis ageretur merè civiliter, ex auctoritate, vel delegatione Episcopi, laicus in ea potest judicare Clericum; Episcopus enim ejusmodi causas delegare potest Laico; non autem criminales, aut spirituales, ex c. *significasti. 18. de foro compet.* ubi dicitur, quod quanquam laici possint jurisdictionem non sui Judicis prorogare, *Clerici tamen non possint*, nisi forte sit persona Ecclesiastica, & *Episcopi diocesani consensus accedat*; nam hoc casu Judex laicus ageret non jure suo, sed Ecclesiastico delegantis Episcopi, ad quem in hoc casu etiam fieri deberet (si quâ opus foret) appellatio. Delegatus enim nihil habet jure proprio. L. 1. *ff. de offic. ejus, cui mandat. est jurisdict.* quia verò in prorogatione jurisdictionis ad Clericum reconveniens coram Judice seculari, is ageret jure proprio, etsi esset appellandum, id fieri deberet ad Superiorem Judicis laici, non potest coram Judice laico reconveniri Clericus cum consensu sui Episcopi, sic gloss. & Panorm. in c. 2. *de Judic. n. 5.* Ex hoc etiam respondetur ad eam quæstionem, *an Clericus in sacris, & à Laico institutus heres, ratione hujus hereditatis vocari possit ad judicium fori secularis?* Nam lite jam captâ vivo adhuc testatore. affirmandum judicat Sanchez *cit. dubio 2.* secus nondum captâ. Clerici enim à foro seculari etiâ ratione rerum non modò Ecclesiasticarum, sed etiam aliarum ad ipsos spectantium sic exempti sunt à foro seculari, ut in eodem nec licitè, nec validè conveniri possint, ex n. 66. Et ratio ulterior est, quia licet, si laicus fuisset heres, ratione hereditatis illius conveniri potuisset in judicio seculari; secus tamen, si sit Clericus; is enim

enim propter privilegium fori ab eo exemptus est.

§. IV.

An secularis possit esse Judex ordinarius in causis criminalibus Clericorum?

91.

Dixi num. 89. ex autoritate, vel delegatione Episcopi, Laicos posse judicare de causis civilibus Clericorum; non autem jure proprio; Judex enim ordinarius esse non potest, nisi ex officio proprio habeat superioritatem, & potestatem in alios; Laici autem respectu Ecclesiarum, personarum Ecclesiasticarum, ac in earum bona etiam temporalia id non habent, ex officio, & jure suo. Laici enim non praeesse, sed potius subesse debent Ecclesiasticis personis, quorum dignitas major, & altior est, per c. Duo sunt. 10. dist. 96. dixi jure suo; nam aliud est, ut jam praenotavimus, jure delegato Episcopi; excipe tamen primò causas feudales in materia feudali, ex c. Ceterum 5. h. t. ubi dicitur, si Ecclesia aliqua, v. g. Monasterium, quibusdam praedia concessit in feudum, & inter vassallos controversia oriatur circa feudum, tum ordinarius Judex, v. g. Episcopus, se immiscere non potest, sed quaestio illa feudalis coram domino feudi, qui in casu nostro est Abbas, agitari debet, dummodò actor ibi justitiam consequi possit, alioquin Ordinarius loci adiri poterit.

92.

Ex hoc coll. 1. domino feudi competere jurisdictionem ordinariam (utpote concessam à lege) si inter Vassallos ejus controversia oritur, concernens feudum, ab ipso acceptum; ad hoc tamen requiri duo, nimirum 1. ut controversia sit super jure feudali, decidenda ex legibus feudorum. 2. ut uterque se agnoscat Vassallum ejus; nam si non Vassallus cum Vassallo litiget (& dominus feudi sit diversus ab ordinario) ad hunc recurri debet, ut colligitur ex l. 2. feudor. tit. 27. de pace petenda §. si duo, & si Vassallus litiget cum ipso domino feudi, cognoscere debent pares Curiae per cit. l. 2. Constitut. Imperialem; & praeterea, de prohib. feudi alienat. per Frideric. Colliges 2. si justitia apud dominum feudi obtineri non possit, accedi posse ad ordinarium Judicem rei conventi, ut dicitur c. Ceterum, in priori num. Nam universim loquendo, jurisdictione per specialem legem, vel praescriptionem competens inferiori judici devolvitur ad superiorem inferioris, si hic per negligentiam, vel malitiam nolit justitiam ministrare.

Tom. II.

Ante resolutionem notandum, quòd 93
Judex in tota sua latitudine comprehendat omnes jus dicentes, cujuscunque dignitatis sint, ut Praesides Proconsules, Rectores provinciarum & alios similes. Dicitur enim Judex (ut ait Sylv. v. eod.) quasi jus dicens populo; sive, quòd jure disceptet, id est justè judicet. cap. forus §. in omni, de verb. sign. Unde Judex est is, qui jure potest justum cuique decernere, & reddere. Ut Judicium scrutemur multipliciter, Judex in genere est triplex, quamvis sub tribus speciebus, seu membris variis contineat. Nam judex quidam est ordinarius, quidam extraordinarius. Ordinarius est, qui potestate ordinaria praeficitur à Principe alicui collegio, vel universitati ad universitatem causarum. Extraordinarius, qui habens potestatem delegatam non praeficitur alicui universitati, vel collegio, & est duplex, alter habens jurisdictionem ex partium voluntate, & dicitur arbiter, alio nomine compromissarius; alter ex commissione superioris, ut delegatus, ad certam causam, vel subdelegatus, cui nempe delegatus potestatem subdelegavit.

94.

Not. 2. dupliciter in judicio agi posse de alicujus crimine, civiliter, & criminaliter, ut pluribus à nobis exponitur l. 5. decret. tit. 1. & observat Pereyra in Elucidario l. 1. elucidat. 8. num. marginali 173. dicens: est alius quoque modus, quo in judicio circa crimen dicitur agi criminaliter, & agi civiliter. Et quantum colligitur ex Molin. tom. 4. disp. 46. n. 14. agi criminaliter dicitur, quando agitur de infligenda poena delinquenti, ne crimen maneat impunitum: agi civiliter dicitur quando agitur de applicanda poena parti, & potius intenditur compensatio injuriae, quam puniatio criminis. Quod declarat Sanch. l. 7. Matr. disp. 46. n. 22. Tunc agitur criminaliter, cum petitur vindicta: civiliter, cum petitur restitutio damni illati.

Quaestio igitur in praesens est, an, Secularis possit esse Judex ordinarius in causis criminalibus Clericorum, jure nimirum suo,

95.

D 2

suo,

fuo, & proprio, sive civiliter, sive criminaliter in iudicio agatur circa crimen aliquod eorum? de hoc agitur in c. Clerici 8. h. t. ubi Lucius III. ad Archiepiscopum strigoniensem ita rescribit: *cum Imperator dicat, quod etiam leges eorum non dedignantur sacros canones imitari, in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coram Ecclesiastico iudice conveniri, nec debeat in hac parte canonibus ex aliqua consuetudine prejudicium generari; Clerici, maxime in criminalibus, in nullo casu possunt ab alio, quam Ecclesiastico iudice condemnari; etsi consuetudo regia habeat, ut fures a iudicibus secularibus iudicentur?* Idem pluribus locis statuitur, I. i. q. 1. de omni causa sive civili, sive criminali. c. 1. ibi: *nemo unquam Episcopum ad iudicem secularem, aut alios clericos accusare presumat.* c. nullus, ubi Bonifacius ad Episcopos Galliae, nullus, inquit, Episcopus neque pro civili, neque pro criminali causa apud quemvis iudicem, sive civilem, sive militarem producat, vel exhibeatur. *Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.* c. si quis, Sylvester in epilogo Concilii Romani, si quis, ait, *accusans clericum in Curiam introierit, anathema sit.* Unde in Concilio Carthagenensi 8. statutum est, ut quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio privetur; si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit. Cui accedit constitutio Piissimi Imperatoris Constantini, quae, ut refertur c. Continua 5. I. i. q. 1. Continua, inquit, *lege sancimus, ut nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiae necessitatibus serviunt, ad iudicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum iudicium pertrahatur. Habent illi suos iudices, nec quidquam his, publicis est commune cum legibus.* Idem Constantinus Imperator praesidens in Sancta Synodo, quae apud Nicæam congregata erat, cum querelam quorundam Clericorum conspiceret coram se delatam, ait; *vos a nemine dijudicari potestis, quia ad Dei solius iudicium reservamini.* Plura de his V. l. 1. decret. tit. 2. a. n. 616.

96. Dices: sive priora, aut sequentia Ecclesiae saecula percurramus, inveniemus clericos in causis, praesertim criminalibus,

coram saecularibus iudicibus, non vero coram Ecclesiasticis fuisse accusatos. Divus enim Paulus ad Gallionem Proconsulem Achaiae (qui Senecae frater erat) cum deductus esset, & accusatus, Proconsul respondit: *si scelus aliquod, aut crimen poenae dignum commisit, ego illum puniam, & coercebo;* Actuum Apostol. cap. 18. Cyrillus Carthagenensis Episcopus accusatus a Donatistis, damnatus ab Arelacensi Episcopo, absolutus fuit ab Imperatore Constantino; Cyrillus Praeful Hierosolymitanus, absens damnatus a Synodo, appellavit ad Imperatorem, tanquam ad majus tribunal; de quibus videri potest Gonzalez in cit. c. 8. h. t. 4. n. 3.

Confirmatur 1. quia, quod adducitur in cit. c. 8. Imperatorem dicere, *Clericos de omni crimine debere apud iudicem Ecclesiasticum conveniri*, Justinianus Imperator (ut patet ex Novella 83. & cavetur etiam in Authent. Clericus, de Episcop. & Cleric.) intelligit *in omni delicto Ecclesiastico.* 2. quia exemptio Clericorum a jurisdictione saeculari solum provenit a jure positivo, ex concessione Ecclesiae, ut probant Menochius de recuperi remedio 15. n. 210. Duarenus de Sacris Ecclesiae Ministris lib. 1. c. 2. Bellarm. lib. 1. de Clericis, c. 25. Salas de Legibus tract. 14. disput. 14. Sect. 11. num. 118. Seu Imperatorum, ut vult Arnisetus de exempt. Cleric. cap. 3. sed nemo ambigit consuetudinem legitime praescriptam juri positivo derogare posse. l. diuturna, l. de quibus ff. de legibus, cap. final. de consuet. Igitur consuetudine introduci potest, ut Clerici etiam in causis criminalibus coram saeculari iudice conveniri possint. Consuetudo enim potest jurisdictionem tribuere illam non habenti, cap. final. de offic. Archidiacon. cap. irrefragabili. 13. de offic. ordin. cap. auditis, de praescript. Nam in causis criminalibus iudicandis vel non, quam plurimum operatur consuetudo, cap. cum contingat 13. de foro compet. Igitur & in Regno Ungariae consuetudine introduci poterat, ut iudices Laici cognoscerent de causis criminalibus in delictis temporalibus Clericorum.

Resp. ex eodem Gonzalez loc. cit. a. n. 97. 4. fuisse ostendi, a primis Ecclesiae saeculis tam a P. S. P. P. & summis Ecclesiae Praefulibus, quam ipsis etiam saeculi Principibus

bus fuisse cautum, & statutum, ne apud Judices seculares Clerici convenirentur; primam partem declarat ibidem n. 4. & alteram n. 5. Nec obstant allata exempla in num. priori. In illis enim casibus non est provocatum ad seculares Principes, ut ipsi *jurisdictionaliter* de causa cognoscerent; sed, ut in defectu Judicis Ecclesiastici, quod maxime fiebat durantibus persecutionibus, quas inferebant alieni à fide Christi, ut adversus violentias, & injurias à suis subditis protegerent, atque defenderent, ceteroquin omnino indefensi, infidelibus nihil, aut parum curantibus eorum immunitatem, hanc enim opem à quolibet injuste oppresso, ac indefenso, implorare jus concedit.

98. Ad Novellam 83. respondet Suarez l. 4. in defenf. fidei c. 15. n. 7. Justinianum in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis nihil potuisse; & Novellam illam abrogatam esse per Authenticam, *statuimus*, c. de Episc. & Cleric. ubi Fridericus Imperator ita loquitur: *statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione, vel civili trahere ad iudicium seculare præsumat contra constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, à suo jure cadat: iudicatum non teneat: & Judex ex tunc potestate iudicandi privetur. Sancimus etiam, ut si quis Clericis, vel Ecclesiasticis personis justitiam denegare præsumpserit, tertio requisitius, jurisdictionem suam amittat*; id, quod jam ante Imperatores Theodosius, & Valentinianus statuerunt, volentes omnia privilegia, quæ sacrosanctis Ecclesiis, confugarum, aut Clericorum, aut aliorum Ecclesiasticorum causâ, legibus sunt præstita, intacta, atque illibata servari, ut dicitur in Authent. *Siqua*, de Episc. & Cleric.

Cæterum, cum Pontifex in hoc c. specialiter respiciat dictam Novellam, merito censetur non adversari; sed potius omnino favere illi canonicæ Pontificis constitutioni, ut notat Gonzalez ad c. 8. h. t. n. 9. Nam ipse Justinianus Imperator in ea Novella 83. fatetur, se dictum privilegium, de quo ibi, dedisse ad petitionem Patriarchæ Constantinopolitani. ibi: *petiti sumus à Menna, Deo amabili Archiepiscopo, hujus felicissimæ Civitatis, & universali Patriarcha, hoc dare privilegium.* Petitio au-

tem, continebat, ut, cum tunc deficerent Judices Ecclesiastici, callentes pœnas à legibus civilibus pro criminibus secularibus, impositas, Judices seculares de illis cognoscerent, ne delicta manerent impunita; cui annuus Imperator, statuit, ut si quis habeat adversus eos, (nimirum Monachos, vel Clericos) *quamlibet pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellet eum, nec trahat ad auditoria civilia; neque à sacro cum vacare faciat ministerio; sed ex non scripto examinetur negotium sine damnis; & accipiat formam forsitan etiam scriptam, & si hoc quoque partes voluerint, & poposcerint, & liberentur alterutro certamine; & hæc est prima pars illius privilegii.*

Altera verò sic habet: *Si verò, aut propter causam naturam, aut propter quandam fortè difficultatem, non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse, & ad civiles iudices pergere, & privilegiis omnibus custoditis, quæ Reverendissimis Clericis sacra præstant constitutiones, & litigare, & examinationem fieri, & terminum imponi liti; & ita liberam fieri causam clarissimis iudicibus secundum nostras constitutiones, vel leges, studentibus cum magnanimitate, & velociter lites decidere, ut non propter huiusmodi causas sacris amoveantur obsequiis, & cum oporteat Deum placari, & decencia sacerdotibus agi, auditoriis detineantur, & illis turpis, atque inhærente tumultu litigantium animabus.*

Tertia, si tamen de criminibus conveniantur, si quidem civilibus, hic quidem competentes Judices; in provinciis autem, earum Præsides, sive Judices, non transcendente lite mensum duorum spatium, ex quo liti contestatio fit, quatenus brevis imponatur causæ terminus. Illud palam est, si reum esse putaverit, eum, qui convenitur Provinciæ Præsides, & pœnâ iudicaverit dignum, prius hunc spoliari à Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu.

Demum quarta, si verò Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiastica, & multa, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciæ iudicibus; neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles

judices: cum oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam multam, secundum sacras, & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges. Si verò quædam prius contestatæ sunt lites, hæc maneat in ipso Schemate, velocem accipientes finem: omnibus quæ jam à nobis sancita sunt, sive super sanctissimis Ecclesiis, sive super Deo amabilibus Episcopis, sive super Clericis, sive super Monachis, propriam virtutem habentibus.

190. Ex hoc textu clarè patet, dictam Justiniani Novellam constitutioni Pontificiæ in cit. c. 8. h. t. nullatenus adversari, sed potius favere, etiam supposita distinctione criminum in Ecclesiastica, & secularia, Nam prima expressè statuit in causis pecuniariis contra Clericos motis, adeoque civilibus, eos prius conveniri debere coram Ordinario suo, nec trahere ad auditoria civilia, nisi ordinarius propter notitiam causæ quandam difficultatem (ut insinuavit Patriarcha) non foret possibile Ordinario decidere negotium; & hoc casu posse pergi ad civiles judices, non ex obligatione, sed licentia ad Ordinarii instantiam indulta, custoditis tamen privilegiis omnibus, Clericis concessis à sacris constitutionibus.

191. Vbi autem conveniuntur de criminibus, pro quorum pœnis Patriarcha tunc petivit ab Imperatore Judices competentes, quod laborare defectu Judicum Ecclesiasticorum callentium leges civiles, quæ pœnam statuunt delictis secularibus, expressè distinguit Imperator, ibi: *est Ecclesiastica sint, respondet, Deo amabilis Episcopus discernat*, nihil communicantibus clarissimis provinciæ judicibus; nequè enim, inquit, volumus talia negotia omnino scire civiles judices; cum oporteat talia Ecclesiasticè (nimirum secundum canones, & Ecclesiæ jura) examinari, &c. ut retulimus n. 99. si autem secularia, petitioni annuens ait: *competentes Judices fore provinciarum Præsides*, ita tamen, ut intra duos menses à die litis contestatæ finis causæ imponatur. Non igitur excipit à foro Ecclesiastico delicta secularia Clericorum, sed tantum tamen indulget, ut ad Judices seculares deferri possint, prout petierat Patriarcha; nimirum, ut, ubi non sunt Judices Ecclesiastici, qui ejusmodi causas definire va-

leant, de licentia coram tribunali laico cognoscantur, custoditis tamen Clericorum aliis privilegiis omnibus. Hinc

102. Resp. ad 1. confirmat in n. 96. negandum esse, Imperatorem in ea Novella loqui solum de criminibus Ecclesiasticis Clericorum; patet enim statim ex ipso initio illius Novellæ, ubi sine ulla distinctione caufarum, & criminum indefinitè ait: *plurimas sacras scribentes leges, & de Deo amabilibus Episcopis, & reliquo omni sacerdotio, nec non de reverendissimis Monachis, & nuper hoc agentes, in quibus volumus reverendissimos Monachos apud solos civitatis Episcopos, sub quibus sunt Monasteria, conventiones suscipere.* Nec obstat, quòd in seqq. loquens de delictis asserat, *pro delictis secularibus competentes fore Judices, Provinciarum Præsides, non pro Ecclesiasticis*; hoc enim non statuit indefinitè, & tanquam legem; sed solum tanquam indulgentiam ad petitionem Patriarchæ, propter defectum Judicum Ecclesiasticorum, qui tunc, non callebant leges pœnales delictorum secularium; id quod confirmari potest ex aliis, quas statuit Justinianus; nam in Novella 79. apud quos oporteat causas dicere Monachos, & ascetrias, c. 1. apertè statuit, ut si quis *quamcunque habuerit causam cum personis sacris, apud civitatis illius Episcopum interpellat*; & civiles non sint penitus eis Judices; & c. 2. mandat omnibus præfectis, hanc communem legem custodiant; & nulla eorum fiat omnino corruptio, sed integræ ad honorem *reverendissimorum Monachorum* (ex quo patet, quod expressè de mulieribus dictum est, c. 1. intelligendum etiam de Viris Religiosis) custodiantur; ac demum c. 3. *sciant igitur* (loquens de temeratoribus hujus constitutionis) ait: *qui præter hæc aliquid egerint, si quidem Judex sit, qui talem proferre sententiam præsumpserit, quia ab administratione repellatur, tanquam divinitatè contumeliam faciens, & pœna 10. librarum auri unà cum officio suo multabitur.*

Ad 2. confirmat in n. eod. Resp. in ea quaestione, an exemptio Clericorum à seculari jurisdictione proveniat à jure divino? an verò à jure positivo? triplicem esse sententiam. Prima docet, provenire à jure; pro qua citantur Roa, Alciatus, Covarru; & alii apud Gonzalez in cit. c. 8. h. t.

11. Altera vult provenire à jure divino, pro qua ab eodem n. 10. referuntur Gloss. in c. *si Imperator*. dist. 96. & in c. *quanquam* de censibus in 6. Navarus, Jul. Clarus, Bonacina, Barbosa, l. 1. juris Ecclesiast. c. 39. §. 2. Lugo de Just. tom. 2. D. 36. l. 7. n. 10. Delbene de immunit. Eccles. in princip. & complures alii; & ex his quidam docuerunt immunitatem hanc à jure positivo fuisse inductam, postulante rectâ ratione, juri divino maximè congruente. Pereyra de manu regia l. 1. p. cap. 3. n. 3. Castillo lib. 2. contr. c. 5. n. 29. Morla in empot. tit. 2. q. 12. & alii apud Dianam p. 1. tract. 2. resol. 1.

103. Tertia porrò cum Gonzalez in hoc doctorum dissidio mediam viam amplectitur, & sequitur opinionem eorum, qui affirmant exemptionem Ecclesiasticam quoad spiritualia negotia à jure divino provenire; quoad causas verò criminales, & bona Clericorum à jure positivo originem trahere, licet potestas ipsa eximendi Ecclesiasticas personas, eorumque causas à jurisdictione sæculari, jure divino nitatur: ita docuerunt Victoria relect. 1. de potest. Eccles. sect. 7. Bellarminus, cap. 28. de clericis propol. Molina tom. 1. de justitia, tractat. 2. disput. 3. i. conclus. 2. Bobadilla lib. 2. polit. c. 18. n. 32. Christineus tom. 1. decision. 203. Salcedo de leg. polit. lib. 1. c. 3. n. 18. Anhalt. de jurisdic. c. 2. per totum: & alii. Juxta hanc distinctionem, dicendum vult hæc sententia, Clericos in causis profanis, tam civilibus, quam criminalibus, ut sunt omnia delicta in Regem, vel proximum, non ratione ministerii Ecclesiastici, sed communia cum sæcularibus, ut furtum, damnum injuriâ datum, sive contumelia, rapina, item publica falsitas, cædes, & similia: item in causis civilibus, ut contractibus, negotiisque cæteris, & vindicationibus rerum, quas non peragunt, ut Clerici, sed ut quælibet privata persona, non esse exemptos expresso Christi Domini, aut Apostolorum præcepto, sed secundario per consequentiam juris divini elicito, à summis pontificibus Pro-lato, & ab Imperatoribus, Principibusque Christianis, vel tacito consensu, vel legis latis approbato.

104. Ex his opinionibus inter se oppositis, illam l. 1. tit. 2. de Constitut. à n. 640. amplexi sumus, quæ affirmat Ecclesias, per-

sonas Ecclesiasticas, earumque res, & bona exempta esse à jurisdictione sæculari jure divino saltem tradito, & per Ecclesiam explicato, Deo sic dictante, ac precipiente; ubi etiam respondimus ad ea, quæ in contrarium afferuntur; quo supposito ad dictam confirm. 2. in n. 96. Resp. 1. N. ma. Resp. 2. transmissâ mâ. saltem quoad eas actiones, ac negotia, quæ Clerici habent communia cum laicis; datâ etiam minori, prout jacet; nego consêq. imò ejus suppositum, quod consuetudo à Laicis præscribi unquam possit contra Clericorum immunitatem, (pone, etiâ duntaxat jure canonico indultam) in personis, & rebus eorum; licet aliquid privilegio Ecclesiæ illis quandoque indultum sit; ratio hujus: quia, cum ad vim consuetudinis exigatur, ut rationabilis sit. c. *fn.* de consuetud. & procedat de consensu, saltem legali Principis, contra cujus legem nititur consuetudo, ut diximus l. 1. tit. 4. de consuetud. ea verò laicorum consuetudo nec habeat consensum legalem Ecclesiæ, contra cujus legem nititur, cum potius ubique reputetur tanquam corruptela, & bonis moribus adversa; nec unquam ad eum statum perducipossit; ut pro lege recipiatur; utpote ab ipsa non tantum Ecclesiæ, sed etiam Religiosissimis Principibus sæcularibus rejiciatur, ut loco cit. dictum; talis consuetudo nunquam præscribi poterit; præsertim, cum semper destituta maneat etiam tacito consensu eorum, qui ligandi sunt; cum vi potius, & oppressionem, quam studio communis boni ea jurisdictionis prerogatio in Clericos, plerumque contra mentem suorum Principum ab inferioribus tribunalibus, & Judicibus inducatur ejusmodi abusus, & perversa consuetudo.

Præter ea, quæ contra dicta resolvimus l. 1. loc. cit. potest opponi i. textus in can. 7. n. 12. concilii Matiseon. 2. in illis verbis: Nullus clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui, à sæculari iudice injuriam patiat, aut custodiae deputetur; quod si quicumque Judex, cujuscunque conditionis absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, Ecclesiæ liminibus arceatur. Ex quibus expressè constat de causa furti licere judici

105.

dici seculari inter Clericos cognoscere.

106. Secundò textus in canone 6. Concilii Parisiensis 5. sub Clotario II. celebrati, in illis verbis: *Ut nullus iudicium de quolibet ordine clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia per se distringere, aut damnare præsumat, nisi convincatur manifestus.* Tertiò, canon. 4. in Concilio Turracnensi à Gratiano, relatus in cap. nullus 15. q. 4. in illis verbis: *Ut nullus Episcoporum, Presbyterorum, vel Clericorum die Dominico propositum cuiuscunque causæ negotium audeat iudicare, nisi hoc tantum;* ut Deo statuta solemniter peragant; cæteris verò diebus convenientibus personis, illa, quæ iusta sunt, habeant licentiam iudicandi, *exceptis criminalibus negotiis.* Ex quibus ultimis verbis deduci videtur, Episcopum posse iudicare omnibus diebus, excepto Dominico; & de omnibus causis *exceptis criminalibus*: ergò de crimine cuiuscunque Clerici non potest iudicare.

107. Sed hæc non obstant. Hinc not. primis Ecclesiæ temporibus, in defectu iudicium Ecclesiasticorum, callentium leges civiles, qui pro delictis secularibus constituerant certas pœnas; & immunitate Ecclesiasticâ non satis tunc expositâ, ut notavimus à n. 102. factum esse; ut tunc *de consensu Episcoporum*, de delictis secularibus Clericorum iudices seculares cognoscerent, punirent, & iudicarent; quamvis, ut notavi, hoc non fieret *iure proprio Laicorum*, & absque Episcopi consensu. Hinc expressè Gelafius Pontifex, ut habetur c. Clericum. 11. q. 1. *Clericum*, inquit, *cujuslibet ordinis, absque Pontificis sui permisso, nullus præsumat ad secularem iudicem attrahere*, quo posito Resp. ad n. 105. à P. P. Concil. Matiscon. in dict. can. 7. nihil aliud intendi, quàm, *Episcopi permisso, pro tunc*, in ea Provincia potuisse furtum, aut simile delictum seculare à iudice seculari cognosci, & puniri, *salvis tamen semper, & custoditis in omnibus privilegiis eorum*, juxta dicta n. 102. Et juxta hanc responsionem etiam accipiendus est canon. 11. Concilii Epaunens. in illis verbis: *Clerici, sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum iudicium non præsumant; sed etsi pulsati fuerint, sequi ad seculare iudicium non morentur.* Nam

hoc pro tunc fiebat in ea Provincia *de affectu ordinarii* ex causa in jam præmissis redita, *nunc verò*, ubi tot Ecclesiæ Sanctionibus, & claris iuribus prohibitum est iudicibus, & Magistratibus Laicis, de causis Clericorum criminalibus cognoscere, nequè consentiente Episcopo tacite, aut expressè Clericus potest super ulla causa criminali coram iudice conveniri.

Ad CC. Parisiense in n. 106. respondet Gonzalez in c. 8. h. t. n. 14. ea verba (*præter criminalia negotia*) transcripta esse ex supra cit. Novella 83. Justiniani; quæ, cum non rectè percullisset Clotarius, generaliter usurpavit, & in suis Capitularibus transcriptis; & ideo postea à Carolo, & Pipino, juxta veram Ecclesiasticam disciplinam statutum, *de quocunque crimine à Clericis perpetrato, Episcopos, non verò iudices seculares, cognoscere debere.* Cæterum verba Clotarii eandem responsionem habent, quam n. 102. dedimus ad verba Justiniani, Ad 3. Resp. illa verba, *exceptis criminalibus*, referri solum ad cognitionem causæ, non qualemcunque, quæ nimirum præcedit degradationem; sed eam solum, quæ procedat ad sententiam criminalem, dictando pœnam sanguinis, præscriptam crimini lege seculari; quia tunc potius Clericum degradatum debet iudici seculari tradere, juxta tradita in cap. *cum non ab homine*, hoc tit. quia iudex Ecclesiasticus non debet sententiam sanguinis proferre, ut dicemus in cap. *sententiam*, ne Clerici, vel Monachi.

108. Questio ulterior est, vel an Clericus in criminalibus possit reconveniri coram iudice seculari *criminaliter*, seu ad vindictam publicam intentatis? Respondet Sanchez l. 6. consilior. moral. c. 1. d. 1. n. 5. certum esse, non posse; ratio sumitur ex dictis à n. 95. sic enim conveniretur coram iudice non suo: in causis autem, quæ solum intentantur civiliter, posse affirmant aliqui cum gloss. in c. *at si Clerici*, & c. *Multi*. 2. q. 1. V. *seculari*; sed contrarium verius est de iure communi, & secluso assensu Episcopi; cum Clerici (ut ostensum est supra) tam in personis, quàm rebus suis omnino exempti sint à iurisdictione laicorum, extra 5. casus quos enumerat Sanchez cit. à n. 5. ex quibus primus est, si reconveniantur coram iudice seculari in causis solum civilibus; sed hoc, secluso

seculso assensu Episcopi, jam negavimus; 2. in causa merè temporali, cum auctoritate Episcopi; 3. quando propter delictum deponitur, & traditur seculari potestati. 4. ratione feudi. 5. quando est incorrigibilis.

109. Quæstio est 2. an Judex secularis possit capere Clericum? respondet Sanchez cit. n. 11. quòd non, nisi in flagranti delicto, ut ipsum tradat Judici Ecclesiastico: quod, si secus faciat, sacrilegium mortale committit, & incurrit excommunicationem; conclusio hæc est omnium ita ille. Nec in hoc quidquam valet consuetudo Laicorum, etiam antiquissima; si enim nulla lex secularis prævalere potest adversus immunitatem Ecclesiasticam, & statuta canonum; nec id poterit consuetudo secularium; consuetudo enim pro lege recipitur, & est altera lex, & similem legi originem, ac obligationem habet: at nulla lex secularis prævalere potest contra statuta canonum, & immunitatem Ecclesiasticam; primò, quia talis consuetudo constanter reprobatur ab Ecclesia, consequenter semper est irrationabilis; adeoque nunquam pervenire potest ad statum, quo possit esse materia legis, sine qua non potest abrogare legem, aut canonem contrarium. 2. quia id utroque jure reprobatur, ut probavimus l. 1. tit. 4. & constat ex dictis hinc ergo.

110. Quæstio est 3. an Clericus à Judice seculari citatus, teneatur comparere coram eo ad allegandum fori privilegium? Resp. negativè, modò appareat ipsum esse Clericum; ita Julius Clarus in pract. criminal. l. 5. §. fin. q. 36. Gloss. in c. *Convenior*, 23. q. 8. V. *vel congrueret*; & c. *nullus Episcopus* 11. q. 1. V. *exhibeatur*; id, quod etiam tradit Perez l. 1. Ordin. tit. 3. l. & alij; ratio est ab exemptione Clericorum à foro seculari. Et ideò processus factus à Judice seculari, etiam ignoranter, contra Clericum nihil valet. Ratio, quia remotà jurisdictione judicis nullius sunt valoris ab eo gesta, c. *ex literis*. §. *fin. de offic. deleg.* Ita speculator, quem refert, & sequitur Perez, ibid.

111. Quæstio est 4. an Judex laicus capiens Clericum in flagranti maleficio teneatur illum statim remittere ad Judicem Ecclesiasticum, absquè ulla causæ cognitione? Resp. quòd sic, si notorium sit esse Cleri-

Tom. II.

cum, gaudentem privilegio fori; quia sic notorium est, jurisdictionem Judicis Laici in Clericum, remotum, seu nullam esse, & constat apertè ex c. *si Judex* mox citando, ibi: *si notorium fuerit, quòd idem malefactor sit Clericus, qui hujusmodi privilegio gaudere debeat, statim absque alia cognitione, vel fama publica, de hoc existere, aut ipse pro Clerico communiter habebatur: in continenti, etiam ante cognitionem de clericatu, Ecclesiastica curia debet tradi.*

Sed, si nec notorium est, esse Clericum; nec in Clericali habitu inventus est, non teneatur ipsum remittere, donec probet se Clericum esse, ac gaudere privilegio fori, tenent Navarr. in manuali. c. 25. n. 24. Sylv. V. *judex*, 1. q. 2. dicto 5. Tabien. verb. *judicare*, n. 14. Armilla, verb. *judex*, n. 20. D. Anton. 3. p. tit. 9. c. 2. §. 4. Sed ad hoc resolvendum, juvat c. *si judex* 12. de sentent. excommunic. in 6. ubi Bonifacius VIII, *si Judex laicus*, inquit, *malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens, ad curiam Ecclesiasticam petat remitti, vel curiam ipsam, tanquam suum Clericum repetat, Judice illum inspiciente Clericum, ac ob hoc minimè remittendum: dubitationis hujusmodi, an scilicet sit, qui reperitur Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica, & spirituali, vocato tamen Judice seculari, vel alio, cujus interest) cognitio pertinebit.* Ex hoc textu sequitur, ubi dubium vertitur, an quis sit Clericus, & gaudeat fori privilegio? veritatem examinare non pertinet ad Judicem secularem, sed Ecclesiasticum; quia de re spirituali, vel Ecclesiastica agitur dicto c. *si judex*, ita Covarr. q. pract. c. 33. n. 1. dicens esse omnium, & citans plures Paz pract. tom. prælud. 2. n. 9. Tabien. D. Ant. Suprà. Sylv. V. *judex*, 1. q. 6. in fine. Addunt hi Doctores, dempto Covarr. & Paz, vocandum etiam esse Judicem secularem, vel alium cujus interest, ut habeatur dicto c. *si judex*. Addit. Covarr. judices Ecclesiasticos, non seculares debere judicare, an Clerici juxta canonicas sanctiones fori privilegium amiserint? ex eo, quod tonsuram, & vestes Clericales dimiserint, idem tenet Paz ibi:

Nec obstat, contrarium fieri lege regià in Lusitania, Gallia, & Hispania, ut quidam volunt apud Barboz. in cit. e.

112.

E

si Ju-

si Judex n. 3. ac idem teneri à nonnullis aliis ibid. relatis, ex eo comprobantibus, quia hujusmodi quæstio est facti, & in facto consistit, cujus cognitio ab omni juris spiritualis cognitione remota est, & consequenter cessat reg. c. 2. de judic. Unde recepta est consuetudo, judicem laicum de his quæstionibus facti, circa Ecclesiastica, seu spiritualia negotia, posse cognoscere, veluti, si circa filiorum legitimitatem dubium sit, non de viribus matrimonii, sed an de facto matrimonium fuerit contractum? & in multis aliis similibus. Non, inquam, hæc obstant. Nam ad contrariam observantiam, si verum est, quod adfit, in regnis adductis, respondet Barbof. cit. id fortasse tribuendum alicui speciali Summi Pont. privilegio, vel consuetudini immemorabili, quam in hoc proposito tribuere posse jurisdictionem laico judici contra reg. cap. Clerici, de judic. super criminibus Clericorum *in minoribus*, multis latè adductis comprobatur D. Barbof. in *d. l. Titia n. 32.* Ad alterum ex ratione desumptum Resp. præsentem quæstionem non esse puri facti, sed involventis quæstionem juris, an gaudeat privilegio fori? cujus cognitio non est fori secularis.

Deducitur 2. pendente lite super Clericatu, & immunitate Clerici apud Judicem secularem detenti, hunc debere suspendere à cognitione super delicto, & aliis, donec Ecclesiasticus cognoscat super Clericatu; ita Paz cit. alias enim procederet dubius de jure sibi competente, ac exerceret actum jurisdictionis, de cujus usu sibi concessio suspensus est, neutram oppositorum partem prudenter amplecti valente intelletur; & constat ex textu infra n. 115. referendo; an autem pendente illà lite reddi debeat Judici Ecclesiastico? negat. Paz cit. apud Sanchez n. 17. in fine: videtur tamen probabilius, quod sic. Nam, cum cognitionem causæ super Clericatu, & competente fori privilegio, Judex Laicus debeat remittere ad Ecclesiasticum, & sit contra reverentiam status Ecclesiastici cognitionem causæ Ecclesiasticis debitam talem Judicem exercere in foro seculari, ac non suo, rectè sequitur, saltem ad hunc actum in tribunali Ecclesiastico à seculari Judice sistendum esse.

Quæstio est 5. quid dicendum, si Reus ipse, ante deprehensionem, pro laico publicè se non gerens, deprehensus fuit in habitu Clericali, tonsuram videlicet & vestes deferens clericales? respondet Bonifacius VIII. c. *si Judex: idem censemus* (quòd scilicet, *si notorium sit*) *nam talem debemus Clericum* (donec constet de contrario) *reputare; sicut de illo, qui in possessione ingenuitatis existit: si dicatur ab alio libertinus, legalis sanxit auctoritas, ut probandi necessitate non ipse, sed adversarius adstringatur. Justum est enim, ut ipse talis, quem gestat ex habitu* (quousquè appareat aliud) *presumatur, qualis is esse, cujus fere habitum, comprobatur.* Ex stigmatate namquè, consueto Fabricensibus imprimi, latitans Fabricensis agnoscitur. Et custodes aquarum (quos hydrophylacas nominant) quæ eis inungi solet annotatione signati manifesti sunt omnibus, & angariatum nomine non tenetur. *Isquè status alicujus esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur.* Subjungit autem statim Pontifex: *non sic autem volumus observari, si ante deprehensionem pro laico publicè se gerebat, ac pro tali communiter habebatur, quamvis deprehensionis tempore repertus fuerit in habitu clericali: tunc enim restituendus non est, quousque fidem de titulo fecerit clericali; cujus eidem probationis onus incumbat, propter presumptionem, quæ adversus ipsum orta est ex declaratione laicalis habitus præcedenti. Contra eum tamen interim quivis processus Judicis penitus conquiescat.*

Præter hæc not. 1. in casu, quo Clericus ob maleficia captus à seculari Judice, remitti debet ad Judicem Ecclesiasticum, id fieri debere, Clerico etiam invito, & contradicente; sic Carolus de Grassis, de effectibus Cleric. effect. 1. n. 329. Clericus enim cessione juris ex privilegio fori, utpote jure nullà, non potest præjudicare Judici suo. Not. 2. quamvis Clericatus non probetur ex eo, quòd quis incedat in habitu, & tonsura, nisi doceat de titulo, ut per Mascard. de probat. conclus. 302. præsumi tamen, dum constet contrarium, ex textu c. *si Judex*, relato num. 111. Unde quando Barbof. in dict. c. *si Judex* num. 10.

cum aliis ait: Clericatus qualitatem non præsumi; & dicentem, se Clericum probare debere, ex Menochio de præsumpt. l. 6. præsumpt. 76. n. 1. intelligendum est; si deprehendatur sine habitu, & ante deprehensionem se publicè tanquam laicum gessit, ut dicitur in textu, de quo n. 115.

Not. 3. Clericatum probari per famam, vel communem existimationem, ut per Flamin. Patif. de resignat. benefic. lib. 4. q. 2. n. 70. & lib. 10. q. 3. num. 34. Mart. de jurisd. p. 2. c. 31. num. 7. Nicol. Gar c. de benef. p. 7. c. 1. num. 140. item per literas Episcopi, attestantis se contulisse ordines illi, qui se Clericum asserit, ut per Mascard. conclus. 305. Flamin. Patif. de resignat. benefic. lib. 10. quæst. 3. num. 30; & juxta gloss. in c. si Judex, per testes. Nam deficiente, seu deperdito ordinationis instrumento, Clericatus potest per testes, saltem duos probari, ut docent Covarr. pract. c. 33. n. 3. Salzedo in pract. c. 62. à n. 16. Mascard. concl. 303. n. 6. quod extendit etiam ad testes singulares Farinac, in praxi criminali p. 2. q. 64. n. 281. & sufficere unum tantum, si non agatur de alicujus præjudicio, ut docent Rebuff. in tract. nominat. q. 22. n. 14. Zerol in praxi Episcop. p. 1. verbo *Bulla*, vers. *ad tertium*, si deponant vidisse Clericum celebrantem; & quòd communiter, & publicè pro Clerico habebatur, Mascard. d. concl. 203. n. 1. & 2. & alii.

§. V.

Quas causas cognoscere ac judicare possit
Judex Ecclesiasticus?

115. **R**esp. causas civiles, & temporales ad Magistratum secularem spectantes, directè, ac ordinariè non posse cognosci à Judice Ecclesiastico, etiam Papa c. *novit*. 13. de Judic. Colligitur etiam ex c. *licet* 10. & c. *ex tenore* 11. de foro compet. in quo casus iste continetur: Rex Franciæ, & Rex Angliæ super quadam discordia, quam inter se habebant occasione feudi super comitatu Pictaviæ, composuerunt ad invicem, & compositio illa fuit hinc inde juramento firmata: tandem Rex Franciæ, non obstante juramento, venit contra illam compositionem occupando dictum comitatum: Rex Angliæ sæpe monuit il-

Tom. II.

lum, ut compositionem servaret, & pacta inita inter eos; sed cum ille desistere noleret, Rex Angliæ denunciavit hoc Ecclesiæ: unde dominus Papa, intellectâ denuntiatione illâ, quia ille veniebat contra pacem, & pacis foedera juramento firmata, cum ad ipsum pertineat corrigere de peccato quemlibet Christianum, sibi D. Papa prælati Franciæ, & primò inducit contra eum illam auctoritatem Evangelii: nec tamen propterea in hoc derogare vult in aliquo jurisdictioni illius, nec intendit judicare de feudo, sed decernere de peccato illius, cujus censura ad ipsum spectat: nisi per privilegium, vel contrariam consuetudinem juri communi sit detractum. Tandem ostendit, quòd ipse non debet sibi injuriam reputare, exemplo Valentiniani, & aliorum Imperatorum, ostendendo, quòd ad ipsum pertinet corrigere quemlibet de peccato, & pacis foedera reformare; unde committit causam istam cuidam Abbati, qui de plano de querimonia illa cognoscat, quòd si Rex Franciæ humiliter non acquieverit, præcepit cuidam legato, quòd ipse procedat in negotio secundum formam sibi traditam.

Ex hoc deducitur 1. ipsum summum Pontificem agnoscere, non tribuit Ecclesiæ jus, directè judicandi causas merè temporales; ut ipse protestatur statim in principio dicti c. *Novit*. ibi: *novit ille, qui nihil ignorat*: & infra. *Non putet aliquis, quòd jurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuire intendamus*; cum ipse jurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire. Nam potestas Ecclesiastica, & secularis, diversæ sunt; quare una alteram impedire non debet, ita, ut nec secularis se immisceat negotiis Ecclesiasticis; nec Ecclesiasticus Judex immisceat se negotiis secularibus aliorum regnorum.

Et idèd etiam, ut habetur in c. *licet* 10. de foro compet. rescriptum à Laico contra laicum, in causa non Ecclesiastica, impetratum à Papa, est ipso jure irritum. Rationem dat Innocentius hîc, quia in causis temporalibus Christianorum, Papa jurisdictionem non habet, nisi temporali suæ jurisdictioni subjecti sint; excipe, nisi Judex secularis partes gravet, vel justitiam eis administrare nolit, tum ad Episcopum, vel Papam recurri potest; id verò (uti in

E 2

textu.

textu indicatur) dicitur propter consuetudinem, *qua eo loco, & tempore viguit*; alioquin verò, spectato communi jure, si Judex secularis inferius aliquem gravet, vel justitiæ administrationem neget, ad Superiorem ipsius, videlicet Imperatorem, vel Regem ejus querela deferri debet, uti hic tradit Innocentius. n. 1. Imola n. 10. Sed tum demùm ad Judicem Ecclesiasticum deveniendum est in causa temporali, si nullus Judex secularis reperitur, qui justitiam administret, uti hic notavit Abb. n. 9. & consentit c. *si duobus. 7. & denique*, de appellat.

Idem dicitur in c. *ex tenore. 11. de foro compet.* Cùm enim Vidua quædam litem haberet cum aliquo super hæreditate sibi debitâ, eam Papa quibusdam Judicibus Ecclesiasticis delegaverat; sed Comes de Britannia, sub cujus jurisdictione temporali contententes partes erant, volebat, ut controversia in suo tribunali definiatur, promittens, se justitiam plenè administraturum: at cùm Judices delegati acquiescere nollent, Comes quæstus est Innocentio III. qui respondit: *viduis se ita patrocinium debere, ut tamen aliis injustitiam non irroget*; ideo mandat, ut, si causa, de qua agitur, Ecclesiastica non sit, eâ superfedeatur; quòd si verò Vidua justitiam obtinere non possit apud Judicem secularem, tum ipsi causam decidere aggrediantur.

118. Deducitur 2. licet causa dotis, & alimentorum ad Judicem tantùm secularem pertineat, si per se, ac principaliter tractetur in judicio; quia sic est causa merè profana; sin autem ortâ controversiâ circa matrimonium, per accidens interveniat quæstio de dote, eandem una cum causa matrimonii à Judice Ecclesiastico tractari posse. Deducitur 3. Laicum, ratione peccati subjeci foro Ecclesiastico, sive commissi, sive evitandi, id, quod procedit etiam, si agatur de violatione pacis juratæ, ut aperte constat ex casu in c. *Novit. supr.* & tenet eum communi. Barbosa ibid. n. 6. ac in casu, quo Papæ peccatum alterius denuntiatur judicialiter; Pirhing. de Judic. n. 66. ex universali regula, quòd Prælati Ecclesiastici sit, per viam denuntiationis Evangelicæ de quolibet peccato mortali subditos corrigere; & si opus sit ad emendationem per censuras compellere.

119. Ex eadem causa Papa cognoscere potest

de causis feudalibus, sed indirectè solum, nimirum ratione peccati. Nam in quæstionibus, quæ circa feuda Principum secularium oriuntur, Papa se non immiscet; cùm talis cognitio pertineat, spectato communi jure, ad dominum feudi, vel ad pares Curie, uti supra dixi in c. *ceterum*. Dixi: *communi jure*; quia per privilegium aliter constitui potest, ut quæstiones de feudo ab aliis decidi debeant, fortè enim inquit Innocentius hic n. 5. Rex Angliæ Johannes habebat privilegium à Ludovico Rege Gallie, ut in quæstionibus ortis super feudo comitatus Pictaviæ, non ad ipsum Gallie Regem, tanquam feudi Dominum, aut Regni proceres judicium spectaret; sed communi partium consensu Judices, aut arbitri statuerentur.

Præter hæc quæres 1. an Clerici, seu Ecclesiastici possint esse Judices in politicis, & secularibus ex delegatione Principis Laici? Resp. posse per c. *inter dilectos. 6. §. secundo per instrumentum*, de fide instrum. intellige, *in causis civilibus*; cùm in iisdem etiam possint esse Judices ordinarii, ut patet ex textu in cit. §. ibi: *secundo per instrumentum sententiæ Asperti, quondam Mediolan. Archiepiscopi, quam ex delegatione Ludovici Imperatoris tulit, super his pro Monasterio, contra A. præfati Luithardi nepotem, qui super his Monasterium molestabat.*

Quæres 2. an aliquis possit esse judex in causa propria? Resp. id posse Principem, seu Judicem, qui superiorem non habet per L. 41. ff. de hæredibus instit. junctâ gloss. marginal. Nec obstat ad Judicium requiri tres personas, Judicem, Actorem, & Reum; nam hoc est juris tantùm positivi, non ex natura rei; & confirmari potest ex c. 2. de in integrum restitut. 2. *Nos igitur*: ubi Pontifex in causa controversiæ exemptionis ab ordinario, negligentia Procuratoris, non allegata, ex quo præjudicium sedis Apostolicæ nascebatur, adeoque etiam *in causa propria*, sententiam definitivam tulit.

Dixi Judicem, qui Superiorem non habet; nam inferior in causa propria Iudex esse non potest. L. unica, C. nequis in sua causa; & c. *inter querelas*, 23. q. 4. ubi Gregorius scribit Ianuario Episcopo, & inter querelas, ait, multiplices, Isidorus vit clarissimus à fraternitate tua se frustra ex-

com-

communicatum; anathematizatumque conquestus; Quod, ob quam rem factum fuerit, dum à Clerico tuo, qui præfens erat, voluiffemus addifcere, *pro nulla alia causa*, nisi pro eo, quod te injuria verat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit: quod, si ita est, nihil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conversationem habere, significas: dum *pro vindicta propriæ injuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis inuexisti*. Vnde de cætero omnino esto circumfpectus, atque sollicitus, & talia cuiquam pro defensione propriæ injuriæ tuæ inferre denud non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.

122. Ab hac tamen regula (quod *inferior non possit esse Judex in causa propria*) excipe. 1. nisi tali Iudici facta sit injuria, quæ sit notoria; quia tunc cessat causa suspicionis, & Iudex potius est executor pœnæ, vel juris; Abb. c. *in genesi* de Elect. n. 8. intellige, si sit Iudex ordinarius: & injuria sit facta officio, & pœna ad vindictam publicam; non autem, si sit arbitraria, vel applicanda parti; Gail. l. 1. observ. 39. nam quoad hoc potest esse suspicio excessus in puniendo; præsertim, si pars læsa propinqua sit illi. Excipe 2. nisi alicubi consuetudo sit recepta, quod Episcopi in causis ad ipsos spectantibus dare soleant Iudices non suspectos parti. Nam consuetudo legitima dat Iurisdictionem; Felin. in c. *cum venissent*. 7. de Iudic. n. 7. quibus positus:

123. Dubium 1. an Iudex Ecclesiasticus possit esse Iudex in causa suæ Ecclesiæ? Resp. si causa Ecclesiæ directè, & principaliter spectet *ipsius Iudicis tantum personam*, non posse. c. *inter* 23. q. 4. junct. gloss. *fin.* ubi Gregorius scribit Ianuario Episcopo, reprehendens eum, quod, ob injuriam propriæ personæ, quandam excommunicaverit: Resp. 2. si causa Ecclesiæ directè spectet ad mensam Prælati non posse; sic enim censetur esse causa propria, ut dicitur c. *biduum*. §. *si quis ipsius*. 2. q. 6. textus habet: si quis ipsius quidem, à quo appellavit, adeundi facultatem non habuerit, ut secundò ei libellos daret, ejus autem, quem appellavit, habeat copiam, videndum est, ut ei præscribi possit, quod eum non adierit. Et hoc jure utimur, ut

si alterius adeundi fuerit copia, præscriptio locum habeat: *in propria causa biduum accipitur*. Propriam causam ab aliena quemadmodum discernimus? Et palam est, eam propriam esse causam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Ex hoc deducit Pirhing, de Iudic. n. 76. eum nec posse incidenter judicare, propter eandem, quæ in prioribus, rationem: potest tamen judicare in causa suæ Ecclesiæ, quando causa directè, & principaliter respicit ipsam Ecclesiam. gloss. in c. 1. de pœnis in 6. V. *punire*; ubi tamen nota, illum à parte posse recusari, ut Judicem suspectum, propter conjunctionem, quam Prælati habet cum suâ Ecclesia. arg. c. *insinuante* 25. de offic. Jud. delegat. sic litigans cum Canonico potest recusare Canonicum ejusdem Ecclesiæ, tanquam Judicem suspectum, propter præsumptionem affectus singularis erga suum Confratrem c. *cum Raphaël* 10. eod. Si tamen Episcopus, judicans in causa suæ Ecclesiæ, non recusetur à parte, sententia ab eo lata valet; quia licet ejus Iurisdictione per exceptionem elidi possit; tenet tamen, si non elidatur. Abb. c. *in Genesi*. de Elect. n. ult. Et hoc verum est, licet aliàs regulariter nemo possit esse Judex, vel arbiter in propria causa, ne quidem Adversario consentiente; & sententia, vel arbitrium tali casu invalidum sit. L. *penult.* ff. de recept. arbitr. junct. gloss. V. *imperare*. Decius c. *cum venissent*. de Iudic. n. ult. Porro quæ diximus de Episcopo judicante in causa suæ Ecclesiæ, intellige, si procedat judicialiter. Nam extrajudicialiter potest ad defensionem suorum jurium, vel Ecclesiæ suæ infligere censuras; modò bonâ fide sit in eorum possessione; arg. c. *dilecto*. c. *Venerabilibus* V. *attamen*. De excom. in 6.

Dubium 2. est an Iudex Ecclesiasticus possit judicare de sua Iurisdictione? ut, si contingat dubitari, an causa, ad ipsum delata, sit sub ejus foro? idem est de Iudice Laico: Resp. quod sic; sed cum limitatione, ex L. 2. ff. si quis in jus vocatus; & L. *si quis ex alieno*, de Iudicijs; & colligitur ex c. *Pastoralis*. 14. de rescript. ubi dicitur si duo rescripta super eadem causa ad diversos Iudices à sede Apostolica pervenerint, & dubitetur, an prius per posterius revocetur? tum, si una pars Iudicem de-

legatorum alteri deferre velit, ut cognoscat, ad quos Iurisdictio pertineat? illi soli, quibus defertur, hoc dubium, dirimant, antequam de causa principali cognoscatur. Quod si neutra pars Iudicum alteri deferre velit, tunc simul utrique, inspectis rescriptis, eorumque datis, definiant, utri parti potius Iurisdictio competere debeat? Quod si inter se non consentiant, hoc casu (tamen si plures sint Iudices ex una parte delegati, quam ex altera parte) communi partium litigantium consensu arbitri eligendi sunt, qui controversiam hanc definiant, videlicet, ad prioresne, an ad posteriores Iudices cognitio pertineat?

Ex hoc enim deducitur, quod, si Iudex Ordinarius, aut delegatus, orto dubio de Iurisdictione sua in certa causa, bona fide, ac probabiliter pronuntiet, se competentem; atque a sententia hac interlocutoria non appelletur; processus, & sententia in causa principali valebit; esto postea comperiat, ab initio verè competentem non fuisse: constat ex citatis Iurisdictio; quod tamen accipe, quando *dubium* censetur circa *Iurisdictio*; nam quando est circa ipsam personam (ut si ei objiciatur, quod sit excommunicatus, infamis, amens, suspectus) inhabilis est ad iudicandum super his defectibus, Gail. l. 1. observ. 34. n. 6. quæ limitatio etiam adhiberi debet, si iudicet de Iurisdictione (rationabiliter dubia) *in suum commodum*. L. de Iure. ff. ad municipales. Unde quando dicitur: *nemo in propria causa Iudex esse debet*, intellige, si directè fiat in propriam utilitatem, & commodum iudicantis; non autem, ut fungi possit ordinario, & publico officio suo. Nam Prætoris est iudicare, an sua sit Iurisdictio? gloss. in L. *si quis*. cit. V. *estimare*.

235. Not. præterea, quod, si Iudex Ordinarius, aut delegatus, orto dubio de Iurisdictione sua in certa causa, bona fide, ac probabiliter pronuntiet se competentem; atque a sententia hac interlocutoria non appelletur, processus, & sententia in causa principali valebit; esto postea comperiat, ab initio verè competentem non fuisse, quia hæc est mens ac voluntas committentis Iurisdictio, ut orto dubio (num Iudex in causa aliqua cognoscere possit?) ad ipsum pertineat determinare, & secundum id procedere. Verum hoc intelli-

ge, ut non procedat, si Iudicis Iurisdictio fundata non sit, seu, quod idem est, si ejus Iurisdictio fundari non possit per pronuntiationem dicentis, *se competentem esse*, Iudex enim in causa principali procedere nunquam potest, nisi certus sit de Iurisdictione sua; cum neque Tutor administrare possit, nisi certus sit, se Tutorem esse per L. *Quero*. 3. ff. de eo qui pro Tutore.

Duobus autem modis contingit, Iurisdictio Iudicis fundari non posse 1. si ex parte rescripti, seu præsentis commissio- nis sit nullitas; 2. si commissio facta sit a Superiore in causa ad ipsum non pertinente per L. 2. C. si a Iudice non competente; quo casu, licet juxta Baldum in cit. L. 2. n. 2. delegatus pronuntiare possit, se in causa delegata competentem esse; si tamen non re ipsa suberat foro delegantis, acta Iudicis delegati nulla, & irrita erunt. Hinc si Princeps laicus, seu secularis causam, quæ verè Ecclesiastica, & extra suum forum est, committat cognoscendam alteri; idque ob auctoritatem committentis, aliàsve rationes pronuntiet, competentem se esse, poterit quidem, si bona fide procedat, excusari a culpa; sed acta ejus irrita erunt, ob Iurisdictio- nis defectum; quippe quam error, quantumvis probabilis, conferre non potest, si commissio non facta ab habente potestatem, prout docere solent Doctores in L. *Barbarius*, ff. de Off. Prætor.

Dubium 3. est, an Iudex secularis cog- noscere, ac iudicare possit, se competentem esse, saltem efficaciter (nimirum sic, ut ejus Iurisdictio per talem pronuntiationem fundamentum, & vires acquirat) si in causa procedere volenti pars objiciat, quod sit Ecclesiastica, ad ipsius proinde cognitionem, & Iurisdictio- nem non pertinens; an si citatus ad Iudicem secularem, excipiat se clericum esse, Iurisdictio- ni in hac causa non subiectum, stante dubio de exceptione ista? Resp. quod non; nam ut docet Glossa in c. *si Iudex* 12. de sentent. excom. in 6. quod de re Ecclesiastica, & spirituali, nec principaliter, nec incidenter habet secularis Iudex se intromittere; juxta c. *Tuam* 3. de ord. cognitionum c. *lato*. 5. c. *per venerabilem* 13. qui filii sint legitimi: sed ut ait Gloss. marg. ibi Felin. hic n. 4. in dubio isto Ecclesiasticus est Iudex, tanquam major; & Decius in c. *cum Ordinem*.

Dubium

127. Dubium 4. est, an idem Judex esse debeat, qui cognoscat de causa possessionis, & proprietatis? Resp. de hoc agi L. *nulli*. 10. C. de Judic. & c. *Pastoralis* 1. de caus. posses. & propriet. Cùm enim Felix Siculus conquestus esset S. Gregorio Pontifici, quòd actores Ecclesiæ Syracusanæ possessiones ejus injustè occuparint, & petiisset, se restitui: Gregorius respondit, judices à partibus eligendos esse, qui de utraque tum momenti, seu possessionis, tum proprietatis causa cognoscant, cùm ita Cæsareis legibus definitum sit, & se, parte alterà inaudità, judicare haud posse. Ita habetur in l. 7. registri epistolarum indict. 2. epist. 100. ad Felicem, & epist. 101. ad Joann. Syracusanum Episc. Excipe tamen, ut non procedat, nisi actor, & reus sint ejusdem fori. c. *significaverunt*. fin. de judic. & Abb. hic n. 15. ubi habetur: si actor, & reus diversi fori sint, agentem in possessorio coram Judice Rei, non teneri coram eodem Judice respondere super proprietate; sed debere conveniri coram Judice suo; sic gloss. recept. in cit. c. *fin. V. proprietate*. Quamvis autem Bartolus in cit. L. *nulli*, n. 2. dicat, quòd finito judicio possessorio, si causa proprietatis agitata sit, ad eundem Judicem deferri debeat (quippe qui causam totam citius expediet, cùm in ea jam instructus sit) Resp. tamen omnino sic faciendum, & jurandum, si fieri possit; quia tamen interdum necessitas cogit causam dividere, non enim propter commodum illud accidentale, quia prior Judex melius instructus censetur, majus aliquod incommodum admitti debet; ut videlicet aliquis ad forum alienum trahatur; præsertim Clericus ad forum seculare contra Ecclesiasticam immunitatem, ideo hanc limitationem dictæ legi decimæ adhibet etiam ipse Bartolus L. *incommodati*, §. *duabus*, ff. *Commodati*.

ARTICULUS V.

De actis judicii.

128. **A**cta, etsi quandoque sumantur pro loco, in quo residet Judex instructus de causa recognoscens, ubi acta deteguntur, ut quilibet factum suum audiat, aut videat, & suum consequatur meritum: qui locus aliter etiam *ius* appellatur, L. *pen.* §.

fin. ff. de just. jur. tamen acta simpliciter sunt publicæ scripturæ negotiorum, quæ in judicio aguntur, continentem ordinem eorum, modum, & figuram; vel etiam sunt processus, sive gesta curiæ; gloss. in L. *acta*, ff. *de re judic.*, & c. *quoniam contra* 11. de probat. Cæterùm acta hoc loco dicuntur, quæ sunt coram Judice, aut alio habente Notionem, seu jurisdictionem aliquam, sive fiant in figura judicii, sive absque illa, dummodo pertineant ad illius jurisdictionem, sive voluntariam, sive contentiosam, acta porro sunt multiplicis divisionis; quædam enim sunt *judicialia*, quòd fiant in judicio, etiam si ante litem contestationem; quia quædam judicii acta dicuntur *preparatoria*, & incipiunt à citatione; alia dicuntur *discussoria*; alia denique causæ *decisoria*: quædam *non judicialia*, quæ sunt coram Judice exercente jurisdictionem voluntariam, ut sunt Emancipationes, Donationum insinuationes, minorum alienationes, requirentes decretum Judicis, &c. Alia sunt *judicii ordinaria*, ut est libelli oblatio, citatio, litem contestatio, juramentum Calumniæ, datus terminus probationum, &c. alia sunt *acta cause instructoria* pro litem decisione, uti sunt attestations, instrumenta, confessiones usque ad sententiam, his præmissis:

129. Quæstio est. 1. an acta requirant scripturam? Resp. quamvis etiam acta *non judicialia* plerumque redigantur in scripturam, non esse tamen de illorum substantia; secus est, de *judicialibus*, ex c. *quoniam* 11. de probation. ubi Innocentius III. in CC. Generali statuit, ut tum *in judicio ordinario*, tum in *extraordinario*, seu delegato, Judex tabellionem adhibeat, si id fieri possit, vel duos idoneos viros, qui universa acta judicii, videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, & interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, concursiones, & cætera, quæ occurrerint fideliter, & competente ordine conscribant, designantes loca, tempora, & personas; quæ acta, ita conscripta, partibus tribuantur, *Originali* penes scriptores remanente; ut si super processu judicis controversia oriatur, per acta legitime consignata terminari queat.

queat. Quòd si verò Judex aliquis hanc constitutionem observare neglexerit, & propter negligentiam ejus difficultas emerferit, per superiorem Judicem puniatur. Insuper pro processu ejus præsumptio non fiat; nisi quatenus ex legitimis actorum documentis constiterit.

130.

Ex hoc sequitur. 1. acta judicii, ex præcepto, Judicis in scriptum redigi debere à Notario, vel aliis duobus Notarii locup supplementibus, nisi causæ tantum leviores essent; quod postremum colligitur ex Authent. *nisi breves*, c. de sent. ex periculo. Sequitur. 2. si super exemplis, seu transumptis scripturis dubium oriatur, recurrendum esse ad Originale; videlicet in casu nostro ad Protocollum, manu Notarii scriptum, quod penes Judicem, vel ipsum Notarium asservari debet, propter majorem fidem, & veritatis custodiam. Nam Notarius juratus, & approbatus, propter publicum officium suum, majorem fidem, quàm alii, meretur in pertinentibus ad officium, qua de re Menoch. in arbitrar. casu 99. n. 2. Duorum autem testimonium confessio æquivalet testimonio Notarii, ut colligitur ex c. *quoniam*, 11. de probat. & tradit. gloss. ibid. V. *duos viros*; gloss. in c. *cum Joannes*, 10. §. *quodlibet*, de fide instrum. Sequitur 3. processui, & actis Judicii, non haberi fidem, nisi fuerint scripta; ita cit. c. *quoniam*, & docet Bartolus *L. ne in arbitris*. Si tamen acta judicii amissa fuerint, tum duo testes, qui acta inspexerunt, ac legerunt, de iis fidem facere possunt; arg. *L. testium*, 18. C. de testib. & tradit. Felinus hic n. 55.

131.

Quæstio est. 2. an acta judiciaria rectè probent, rem ita gestam esse, prout in actis scriptum reperitur? Resp. affirmativè ex cit. c. *quoniam*, 11. de probat. nam ideo ex obligatione conscribenda sunt per personam publicam, aut duos Viros idoneos; ut, si super processu Judicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari; & *L. fin. C. de re judicat. ibi: gesta, qua sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem; neque enim morte cognitoris perire debet publica fides.*

132.

Ex hoc sequitur. 1. quòd acta omnia, tam *ordinatoria*, quàm *instructoria* causæ, fidem faciant coram Judice *subrogato*, constat ex c. *ult.* de prob. ubi, mortuo priori

Judice, causâ nondum finitâ, mandat Pontifex, ut acta originalia apud priores Judices diligenter inquirant, & si reperta fuerint unâ cum aliis, si qua insuper partes proponere apud ipsos voluerint, ad Sedem Apostolicam mittant; sin autem acta reperta non fuerint, tunc super sedentes litis contestatione (cùm eam factam fuisse non dubitetur) probationes partium de novo recipiant, audiant quoque eas partes, num in compositionis tractatum consentire velint? & quæ intellexerint, causamquè sufficienter instructam ad Pontificem remittant. Ex quo clarè habetur, si causâ ad alios Judices devolvatur, acta & processum prioris judicii eis exhibenda esse, & inter easdem personas in eadem causa probanda coram Judice *subrogato*, prout etiam habetur *L. mortuo*, 6. ff. de Judiciis; Judex enim *subrogatus* veluti idem censetur cum priore, sicuti & eadem causa, idemque judicium, *L. proponebatur*, 76. de judiciis; & idem eadem ratione dicendum de Judice appellationis, aut revisionis, sicuti hic Felinus docet n. 1. & sumitur ex Clem. 2. h. r. & vereri potest Lanfrancus in pract. c. 3. n. 35.

Sequitur. 2. dicta procedere, non modò, ubi subsequuta est sententia definitiva, sed etiam si instantia fuisset perempta lapsu temporis, v. g. triennii, vel cujuscunque à jure aut consuetudine, aut alio legitimo modo constituti ad finiendam litem; vel si fuisset perempta instantia, quia ob contumaciam Actoris fuit Reus absolutus ab observatione judicii. Et ideo acta *ordinatoria* fidem faciunt, & effectum suum retinent inter eosdem litigantes in secunda instantia (priori per sententiam definitivam finitâ) aut in instantia appellationis, vel si per viam revisionis, aut prætenu nullitatis, causa iterum tractetur; arg. *L. 13. C. de procurat.* ubi propter litem contestationem factam in prima instantia non possunt opponi exceptiones dilatorie in instantia appellationis.

Sequitur. 3. *prædicta* acta omnia non tantum litigantibus, sed etiam hæredibus, & successoribus prodesse. Hinc si Titius petebat à te fundum, & tu per testes ostendas, esse tuum; si eum post hoc vendidisti Caio, attestations illæ, dummodo in præsentia Actoris receptæ, ac publicatæ fuerint, ab emptore allegari, ac produci poterunt;

runt; quemadmodum & sententia lata pro venditore prodest emptori, vel alteri successori particulari, *L. si à te, 9. §. Julianus, ff. de except. rei judicatæ*, ubi gloss. margu. ait, quod exceptio rei judicatæ, quæ venditori, & in venditorem competit, eadem emptori & in emptorem detur.

133. Quæstio est, 3. an valeant acta Judicis solum existimati? Resp. quod sic, si duo accedant; 1. si is, qui putatur Judex, sit in possessione officii Judicis, seu publicæ potestatis, licet titulo & jure destitutus sit, *L. Barbarius, ff. de offic. Prætor. & c. 1. §. veruntamen. 3. q. 7. ibi: veruntamen si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei judicatæ firmitatem tenet. 2.* Si possideat cum errore publico, seu communi ipsius populi, *L. Barbarius, junct. gloss. V. Reprobari*, ubi ait: *circa factum error communis facit jus*; ita Sanchez *L. 3. matr. D. 22. n. 6.* debet autem error esse probabilis, non crassus, vel supinus; Pirhing. *de Judic. n. 84.* & sufficit, ibi errorem esse probabilem, ubi exercet officium; esto alibi sciatur nullitas; Sanchez cit. n. 9. Dixi: licet titulo destitutus sit, intellige, verò; requiritur tamen ad actorum valorem titulus coloratus, seu apparens, putativus, vel præsumptus; patet ex cit. *L. Barbarius*, & cit. c. 1. ubi utrumquæ jus, præter errorem communem, ponderat *intervenisse auctoritatem delegantis potestatem judicandi*; sic Abbas *c. nihil, de Elect. n. 11.* Sanchez *cit. n. 49. & 50.* sed intellige juxta *n. 135.*

934 Ex quo collig. 1. valere gesta Parochi, quæ pendent à potestate per Ecclesiam supplebili; si vulgò existimatur verè, ac legitime institutus, licet ei existenti in occulta excommunicatione, vel per occultam simoniam collata sit parochia; quia, licet careat vero, non tamen caret titulo colorato, nimirum collatione à vero Superiore facta; ita Sanchez *cit. n. 30.* Collig. 2. idem dicendum, si quis post collationem beneficii, ob commissum delictum ipso jure, seu facto postea privatus sit beneficio, vel officii, vel si Superior occultè revocavit concessam potestatem, vel officium. Nam tali casu adhuc stat error communis cum titulo colorato, ita Sanchez *n. 56.* Secus tamen dicendum est, si desit coloratus, & possessio officii, vel potestatis sit in-

Tom. II.

justa, hoc est, si absquè legitima Superioris auctoritate se intrusit in officium, vel permisit se institui à Superiore, quem scivit non habere potestatem. Nam tali casu non prodest error communis; nec jus, vel legitimus Superior supplet defectum verituli; ita Sanchez cit. n. 49.

Not. autem; hæc etiam procedere, licet 1356
Judex, vel Parochus existimatus sciat, se per privationem, vel revocationem amisisse potestatem, adeoque illam se malà fide, & injustè exercere, modò ab initio possessionem beneficii, vel officii cum canonico titulo acceperit; quia tunc jus, vel legitimus Superior supplet defectum, ita Sanchez cit. n. 59. Quando autem dicimus, quod in datis casibus jus vel Superior suppleat defectum, intelligi debet de defectu per eum supplebili; unde non procedit, si potestas non est supplebilis ab humana potestate; hinc si impedimentum occultum, & publicè ignoratum, est *juris divini, vel naturalis*, non valent acta per Judicem existimatum, esto habeat titulum coloratum; quia potestas humana non potest tollere impedimentum juris naturalis vel divini. Not. 2. gesta per Judicem existimatum cum titulo colorato, juxta dicta superius, ipso jure esse validà, etiam respectu illorum, qui sciunt ejus defectum occultum, dummodò publicè ignoretur; ita Sanchez cit. n. 42. quamvis ejus acta rescindi possint; Pirhing. *de Judic. n. 86.* Hinc etiam valida est sententia, lata à Vicario Generali Episcopi, vel à Judice delegato, mortuo Episcopo, vel delegante, etiam tò adhuc integrà, si ejus mors publicè ignoretur, esto illam sciat Vicarius, vel delegatus; quia adhuc stat error communis, & titulus coloratus.

Quæres, an valeant acta ejus, qui sine 136
Superioris auctoritate, adeoque sine titulo, sed bonà fide, est in possessione alicujus Prælaturæ, vel officii, v. g. Judicis, Parochi, &c. si defectus collationis, à Superiore non factæ, publicè ignoretur? Resp. probabiliter ceteri & nonnullis, quod valeant, arg. *c. consultationibus, 19. de jure patron. & Innocentius in c. penult. de relig. domibus n. 2. & c. querelam, 24. de elect.* ita Pirhing. *cit. n. 87.* negans in hoc discrimen inter actus eligendi, & actus jurisdictionis, quod ponit Abbas in *cit. 2. nihil*, & Sanchez *n. 54.* ceterum etiam oppositum non caret suâ probab-

F

babit

babilitate propter dicta ex *L. Barbarius*, & *c. 1. supr. à n. 133.* relatis; quod accipe, si careat omni titulo.

137. Questio est. 4. an acta, quæ valent in uno iudicio, fidem faciant in alio iudicio? Resp. quòd acta coram iudice *incompetente* non valeant, nec fidem faciant coram iudice competente; *c. etsi Clerici*, 4. *de Judic.* ibi: *etsi Clerici coram seculari iudice convicti fuerint vel confessi de crimine, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenus condemnandi. Sicut enim sententia à non suo iudice lata non tenet, & ita facta confessio coram ipso.* Si verò coram Episcopo de criminibus in iure confessi sunt, seu legitima probatione convicti, dummodò sint talia crimina; propter quæ suspendi debeant vel deponi, non immeritò suspendendi sunt à suis ordinibus, vel ab altaris ministerio perpetuò removendi; sic Julius Clarus in pract. crimin. *S. fin. n. 49. q. 36.* Hinc nec probationes, nec confessio judicialis, nec sententia à iudice *incompetente* lata valet, aut ex iisdem ad condemnationem Rei procedi potest; Abbas in *cit. c. 4. n. 5.* & quamvis confessus, in iure, pro convicto habeatur (ut deducitur ex *c. etsi Clerici cit.*) intelligitur tamen coram iudice competente; ceterùm esto confessio coram iudice incompetente facta, non præjudicat propterea, ut in alio iudicio condemnari ob illam possit; habet tamen alios effectus non judiciales, v. g. præsumptionem criminis, ob quod ad persistendum in confessione à suo iudice cogi possit; & vim confessionis extrajudicialis, sufficientis, ut à suo iudice capi, judicialiter examinari, & torqueri possit; ita Julius Clarus, *2. fin. q. 2. 1. à n. 132.*

138. Ex eod. *c. 4.* sequitur, quòd Episcopus cum Clerico adultero, vel aliis minoribus delictis affecto, possit dispensare post peractam pœnitentiam; & si eum suspensione, vel depositione punivit, non debet eum tradere potestati laicæ, si prima pœna sufficiat; *c. etsi Clerici*, 2. *de adulteriis*, de iudiciis; ibi: *de adulteriis verò, & aliis criminibus, quæ sunt minima, potest Episcopus cum Clericis, post peractam pœnitentiam, dispensare. Sed non debet quemlibet depositum pro suis excessibus (cùm suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere) iudici tradere seculari.* Sequitur. 2. quòd adulterium Clerici mereatur privationem beneficiorum, imò & depositionem

(seu perpetuam remotionem) ab officio, & ordine clericali; ita communiter Canonistæ ad *cit. c. etsi Clerici*. Sequitur. 3. ex aliquorum sententia, quòd Episcopi in omnibus criminibus possint dispensare, nisi hoc eis reperitur specificè prohibitum. Hic enim sensus à contrario locum non habet; nam in multis criminibus (ut in hæresi, sacrilegio, simonia) etiam gravioribus dispensare Episcopis iure concessum est. Et quia facultas dispensandi est gratia Principis, alicui tertio non præjudicans, nisi concedenti, respectu illius latè ac benignè ipsam interpretari oportet, nimirum sic, ut semper censeatur concessa, nisi sit interdicta; gloss. in *c. cum illorum*, 32. *V. interdict. de sent. excom.*

139. Questio est. 5. an acta coram iudice competente fidem faciant in alio iudicio? Resp. affirmative, si inter easdem personas, ac ad eundem finem, seu effectum producantur; Abbas in *c. etsi Clerici, de Judic. n. 12.* Dico, si acta utriusque iudicii ad eundem finem tendant, quibus adde, si non varietur modus agendi. Nam acta in iudicio summario non faciunt plenam fidem in iudicio ordinario, *c. Veniens*, 38. *de testib.* & Felinus ibid. *n. 19. L. penult. junct. gloss. V. alimentorum, ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt; Gail. l. 1. observ. 103. n. 3.* Ex hoc sequitur. 1. Si quis à iudice laico absolvatur à crimine homicidii, Clerici percussu vulnere (ut si mors secuta sit ex incuria Chirurgi) & vulnerans à iudice Ecclesiastico petens absolutionem ab excommunicatione incurfa, repellatur, nisi satisfaciat pro damno ex morte, paratus satisfacere pro vulnere, audiri debere illum à iudice Ecclesiastico, cùm sententia pro vulnerante lata in iudicio seculari, plenam fidem faciat etiam in altero foro; sic Layman in *cit. c. etsi Clerici, n. 3.* Sequitur. 2. si contra criminolum actum est ad pœnam legalem coram iudice laico, & postea agatur super eodem crimine coram iudice Ecclesiastico ad pœnam canonicam, acta prioris iudicii non probare in posteriore; quia est alius modus agendi, & ad aliam pœnam; sic Abb. in *cit. c. etsi Clerici h. t. n. 12.* Sequitur. 3. si duo iudicia ad diversum finem tendant, acta unius non probare in altero; sic Abb. cit. hinc sententia absolutoria ab uno non præjudicat, quo minus & alter iudex processum instituere possit, ut sit in crimine fori mixti; nam per tale crimen deditur duplex respublica, civilis, & Ecclesiastica; Layman *l. 4. tr. 9. c. 2. n. 7.* AR-

ARTICULUS VI.

De alijs observandis à Judice, & partibus in iudicio.

140. **A**Nte resolut. not. litigantes coram Judice in iudicio dici partes, vel quòd apud Judicem desiderium suum exponant, quemadmodum in actionibus partes dicuntur personæ, quæ ad alium loquuntur. Unde Cicero: Tibi dedi partes Antiochenas, mihi sumpsi Philonis; vel, quòd consistant ab utraque parte Judicis, tanquam mediatoris, qui plerumque medio nobilioreque loco sedet, litigatoribus ad utrumque locus rejectis, ut ostendat, quòd, sicut Diameter suis se dimensionibus secat, & ab angulo ad angulum mediam figuram dividit, ut utrumque spatium relinquat æquale: ita Judex in neutram partem debeat esse propensior; ut dicitur L. ubi, C. ad L. Cornel. de falsis. Unde Judex in omnibus, quoad partes coram se litigantes, æqualitatem servare debet, nisi vel culpa alterius aliud exigat, aut æquitas, pro altero intercedens, favorem suadeat. Unde etiam ipse Legislator in omnibus ferè rebus, causâ æqualitatis servandæ, parem constituit litigatorum conditionem. *Judex enim iniquus est, qui (ex se, & affectu privato) aut invidet, aut favet.*

§. I.

In quibus Actor, & Reus jure pari, vel dispari uti soleant?

141. **R**esp. licet in obscuris Reo potius favendum sit, quam Actori; & jura proniora sint ad absolvendum, quam condemnandum; adeoque Reus videatur jure dispari gaudere, ac faventiori; certos tamen casus esse, in quibus etiam eodem jure gaudet Actor. Nam. 1. sicut Actor de dolo actionem intendere non potest, si aliam actionem habet, L. 2. C. de dolo: ita & Reus de dolo excipere nequit, si alia ei competit exceptio; gloss. in L. 1. ff. de dolo, §. ait prætor. Secundò, sicut, si actio injuriarum civilis, vel criminalis intentatur, specificari debet locus, & tempus delicti admitti, L. libellorum, ff. de accusat. ita quoque & Reus, si de crimine alterius excipiat, & loci temporis designationem

Tqm. II.

facere tenetur; c. presentium, in fin. de test. Tertio, sicut Actor debet aptè actionem suam proponere, & pertinenter; sic & Reus debet aptè proponere suam exceptionem; quia ineptam, & impertinentem exceptionem æquè rejicit, & dilacerat Judex, atque ineptam actionem; L. 2. §. ff. si mentor falsum modum dixerit, c. examinata, de judic. l. 1. §. Labeo, ff. de fluminibus. Quarto sicut Actor gravatur onere probandi id, quod intendit, L. Actor, C. de probat. ita & Reus exceptionem suam probare debet; L. 1. ff. de except. Quintò privilegium concessum Actori, censetur etiam Reo concessum esse, L. fin. C. de fruc. & lit. expens. L. in sacris, C. de proxi. sacro. serin. Et denique sicut Reus tenetur satisfacere de iudicio sibi, Authent. offeratur, C. de litis contest. ita & Actor de lite proseguenda; Authent. generaliter, C. de episc. & cleric.

142. Quia tamen Reus petitione Actoris gravatur, & iste illum sæpius imparatum aggreditur omnibus ad intentionem suam plerumque instructus; in pluribus jura Reo conditionem disparè statuunt. Primò enim Reus non tenetur quidquam petere, vel concludere; secus Actor; unde si ex facti serie, etiam benè narrata, malè concludat, non raro rejicitur; quia Judex non respicit tam narrata, quam conclusionem, quæ aliquid per Actorem à Reo petitur; secundò, Reus non tenetur exceptionem, quam opponit Actori, tradere in scriptis, L. scire, §. oportet, ff. de execut. Tut. nisi vel consuetudo id exigat; vel interponatur in electionibus, ut dicitur c. constitutum, de elect. vel objiciat exceptionem pecuniæ non numeratæ, per L. in contrahentibus, C. de non num. pecun. tertio, Reus se ex nova causa tueri potest, modò ante prolationem sententiæ jus aliquod, quo se defendat, ei supervenerit, L. si constante, §. fin. ff. solut. marr. Actor contra non potest juvare intentionem suam ex jure, quod ei post litem contestatam supervenit. Etenim si tanquam hæres hereditatem petat, & tempore litis contestatæ hæres non fuit, non proderit ei ad victoriam, si ante sententiæ à verò hærede hereditatem emat, L. non videtur, ff. de jud. Sed secus est, in Reo.

Quartò Reus potest doli mali exceptionem Actori objicere, eumque dolum, se ex

F 2

Acto;

Actoris ipsius rationibus, aut instrumentis probaturum affirmare, adeoque eorum editionem officio Judicis implorare, ut sibi imputet Actor, qui adversus proverbium crabones excitavit; *L. non est novum, C. de edend.* sed id e contra minimè Actori permissum est, lib. 1. *L. qui accus. cod. tit.* Quintò si Reus possidet immobilia bona, relevatur ab onere satisfaciendi, *L. sciendum, ff. qui satisf. cogant.* Actor verò etsi immobilia possideat, eo tamen onere non eximitur. Sextò ad defendendum Reum, quilibet etiam extraneus admittitur sine mandato, dummodo satisfacet de iudicato solvendo, *L. unica, C. de satisf.* Et in simili videmus, quòd unusquisque possit pro Reo, capitis damnato, etiam invito, & reclamante, appellare: quia (inquit Ulpianus) *non est audiendus perire festinans; L. non tantum, ff. de appellat.* Ex parte verò Actoris non admittitur procurator sine mandato, etiam si de rato cavere velit, *L. 1. C. de pro. L. non solum, ff. cod.* nisi fortè fuerit conjuncta ejus persona; *L. non solum, ff. solut. matr.*

143. Septimò, in causis criminalibus accusatori non dantur, nisi duæ dilationes: Reo verò tres conceduntur, *L. fin. ff. de feriis.* Octavò, Actor de calumnia tenetur; Reus non tenetur, *L. 1. ff. ad Turp.* sed satis est, quòd in expensas litis condemnatur; Alciatus in *L. sub pretextu, C. de transactionibus.* Nonò, si Reus abest, Judex constituit procuratorem, per quem defendatur; Actor verò si abest, hunc favorem non habet, debuit enim quempiam relinquere, per quem causa ejus peragatur, *L. si quando, C. de procurat.*

Decimò, quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum. Undecimò, Reus contrarias exceptiones objicere potest, *L. pure, & fin. de except.* Actor verò contraria allegans repellitur, *L. nemo prohibetur, ff. illo tit.* Duodecimò, Actor si successerit in jus alterius, & succumbit, non excusatur ab expensis: Reus excusatur, *L. 2. C. de furtis.*

144. Decimotertio, si morti vicinus vel aliquem accuset, vel eum debitorem suum esse professus sit: nullum ea confessio præjudicium facit; e contra si aliquem excuset, & sibi satisfactum esse à debitore confessus est, proderit confessio ad absolutionem; Bartolus in *L. qui in alterius, ff. eod.*

Decimoquartò, Reus, qui in veritate justam causam habet, per fraudes se defendere potest; Actor non potest, Authent. *quod attinet, C. de probat.* Decimoquintò, Actor non impetrat condemnationem contra Reum in criminali causa, nisi habuerit probationes luce meridianâ clariores, *L. fin. C. de probat.* quia ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum, *c. ubi majus, de elect.* Reus tamen absolvitur ex sola præsumptione, etiam si plenâ probatione convictus sit; ex his patet, in quibus Actor & Reus conveniant; in quibus disconveniant, ex plurium Doctorum consensu.

§. II.

De Reo citando.

Citatio, ut accipitur ex *L. 1. ff. de in jus vocand.* rectè dicitur: *in jus vocatio.* Apud Sylvest. V. *cod. est vocatio juridica ad Judicis conspectum:* & quadrupliciter fieri potest. 1. per nuntium, vel literis citatoris; 2. per præconem. 3. per edictum: 4. juris dispositione. Fieri autem debet citatio *tribus edictis, vel ex causa uno peremptorio,* quod tantum debet temporis continere, quantum tria, nisi argeat necessitas. Jurisconsulti varia ponunt citationum genera: quædam enim *verbalis* est, quâ præco vel voce, vel edicto quem vocat in jus: *realis*, quæ fit, cum personaprehenditur, & in jus ducitur, vel in carcerem detruditur. Alii ponunt duo citationum genera; unum *privatum*, quod personæ, vel domicilio fieri solet: alterum *publicum*, quod publicè fit per compita sonatubæ. Apud Sanchez *lib. 8. matr. D. 28.* reperitur citatio *anomala & circumducta.* Anomala (ut idse exponit *n. 15.*) est, quam absque Judicis autoritate facit creditor debitori fugitivo. Circumducta, quamvis ille afferat *n. 17.* & non explicet, videtur esse illa, quæ ab initio extitit, sed jam deleta est. Nam circumducere est inducere, ac delere. Hinc circumduci causa dicitur, cum ob id, quia deserta est, ejus nomen ex causarum albo eximitur, *L. 6. C. quom. & quan.* his præmissis:

Quæres. 1. an, qui impediunt, ne citari possint, citandi sint per edictum? *citatio per edictum,* est ea, quâ quis, cum alio modo non

do non potest, in iudicium vocari (puta, si ipse vel per se, vel per alios facit, ne citatio ad ipsum pervenire possit, vel ullo modo, vel saltem non securè) citatione affixa in januis Ecclesiæ Matricis, vel Cathedralis, perinde arctatur, post elapsum terminum citationi appositum, ac si ad eum personaliter pervenisset; Extravag. unic. de dolo & contumac. inter communes; quo posito: Resp. Reum in tali casu per edictum omnino in causis Ecclesiasticis citari posse; sed à solo Papa, vel alio de ipsius mandato speciali, & certa scientia, ut dicitur in Extravag. cit. junctâ gloss. V. non possunt; sic enim loquitur Bonifacius VIII. in cit. c. unic. ibi: statuimus, ut citationes auctoritate Apostolica de quibuscunque personis, undecunque sint, cujuscunque status, dignitatis, vel præeminentiæ, præsertim si impediunt, vel faciunt per se, vel per alios, quo, quomodo, ne citationes ipse ad eos perveniant, ex quacunque causa faciendo, ut citandorum domicilia, sive loca, tutè, vel libere adiri non possent: cum (prout scriptum est) existimare debeamus, an eò ire liceat, ubi est citatio facienda, perinde ad instar edictorum prælatorum propositorum in albo prætoris: etiam extra solemnes dies, in quibus Romani Pontifices suos facere consueverunt generales processus, publicè id nobis specialiter, & ex certa scientia jubentibus, factæ in audientiam literarum nostrarum, aut in aula nostri Palatii postmodum affigendæ januis majoris Ecclesiæ loci, in quo Romana communis omnium Christiani populi nationum residebit Curia, ut cunctis possint patere, & ita deferri citatis, sic valeant, ac arctent citatos post terminum lapsum, quem (considerata locorum distantia) volumus citationibus ipsis competentem apponi, sicut si eos personaliter apprehendissent.

147. Quæres 2. an citatio fieri possit extra territorium citantis? ante resolut. not. ex quatuor capitibus cognosci posse, aliquem non esse de jurisdictione citantis: nempe vel ex causa, vel ex persona, vel ex loco, vel ex tempore; sic Jafon in L. ex quacunque, ff. si quis in jus vocatus non ierit. Hinc in ejusmodi casibus Reus conventus opponere potest exceptionem declinatoriam iudicii, ut constat ex tit. 25. de Exceptionibus, ubi ex professo de hac materia, quæ-

stio in præsens duntaxat est, an, qualiter, & quando quis citari possit existens extra territorium citantis? Resp. existentem extra territorium citantis, per nuntium, vel alio modo, posse commoneri de impendente ipsi lite; quamvis non possit citare propriè loquendo sic, ut non comparentem, possit Judex punire poenâ pecuniariâ, vel simili; colligitur ex L. 33. §. 5. C. de Episcopis, & Cleric. ibi: verum, si apparitor tuæ Magnitudinis ex sententia tuæ Sedis amplissimè in provincia degentes eos commonuerit; & L. 20. §. 11. ff. de heredit. petit. ibi: petitam autem hereditatem, id est, ex quo quis scit à se peti. Nam ubi scit, incipit esse malæ fidei possessor. Hujus autem admonitionis effectus est, quòd si commonitus non compareat, Judex procedere possit ad immisionem in possessionem bonorum.

Fieri etiam potest, quòd Titius, qui est Judex rei in suo territorio sitæ, pertinentis ad Caium, qui alibi habet domicilium, eum de impendente lite commoneat (missio nuntio, vel epistolâ ad Judicem domicilii) & insinuet, ut compareat daturus responsum ad libellum Actoris; & hæc etiam fieri potest à Judice rei in suo territorio sitæ, licet Cajus coram ipso conventus existat in loco domicilii extra territorium citantis, seu rectiùs loquendo, litem motam insinuantis, ut dicitur L. 1. §. 2. ff. de requirendis, vel absent. damnand. ibi: Præsides autem provinciarum, circa requirendos adnotatos, hoc debent facere, ut eos, quos adnotaverint, edictis adesse jubeant, ut possit innotescere eis, qui adnotati sunt. Sed & literas ad magistratus, ubi consistunt, mittere, ut per eos possit innotescere, requirendos eos esse adnotatos. Sed nec ista requisitio est propriè citatio (prout explicat actum jurisdictionis) licet habeat eundem effectum, quem retulimus num. præced. quoad immisionem in possessionem bonorum.

Quæres 3. quando locus sit edictali citationi? Resp. vi Clementinæ, de qua n. 180. ei locum esse solum in subsidium, seu defectum alterius modi, quo partium citationes solent fieri, secundum quod exprimitur in dict. Clement. quòd ultra expressa porrigi non debet, utpote odiosum, & à jure communi exorbitans. Exprimuntur tamen aliquot casus peculiare in

148.

jure, ubi ei citationi locus esse dicitur. Nam primò ipse Bonifacius VIII. auctor Clement. *Dudum*, de judiciis, statutum, quod retulimus n. 146. temperare voluit, ita in eadem loquens: quia verò statutum ipsum rationabiliter editum, propter malitiam temporis, tunc instantis, nonnullis nimis rigorosum videtur: *Nos rigorem ipsum mansuetudine temperantes*, idem statutum, & præfatum modum citandi *restringimus ad illos tantum, & in illis locum volumus sibi vindicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant per se, vel per alios quoquo modo, ne ad eos possit citatio pervenire: vel quorum domicilia, sive loca non possunt latè, liberèvé adiri.* Ex quibus habetur, citationi edictali, prout primà parte illius constitutum fuerat, in hoc casu, prout temperato, non esse locum, consequenter non procedere, si propter locorum inseguritatem, alia citatio cateroquin solita non potest fieri; quo casu fieri debet in locis vicinis, unde verosimiliter ad citandum potest pervenire.

Hujus ratio sumitur ex c. *quoniam, fin. de elect. in 6.* ubi Pontifex (cùm interdum accidat, quòd, si electio non sit in concordia celebrata, duæ electiones factæ sint, vel uni, ne confirmetur electus, se opponant, ut Ordinarius ad confirmationem, non cœlecto, aut iis, qui se electioni opponerent, non vocatis, neque discussio negotio, ad confirmationem impartiendam festinaret) Bonifacius VIII. statuit, *ut si cœlectus aliquis adsit, vel oppositor, is nominatim vocetur ad causam suam agendam: sin autem nullus talis adsit, generale edictum ad Ecclesia valvas affigatur, in quo peremptoriè ad diem definitum citetur, si quis electionem factam impugnare velit, quò minus confirmanda sit:* hæc, si omissa fuerint, confirmatio irrita erit. Et vult Pontifex, ut hæc eadem observentur, etsi electio in concordia, id est, unica, nemine opponente, celebrata fuerit. Ex hoc enim habetur, cùm ordinarius citandi modus impeditur, vel non proficeret (per cridam generalem ad valvas Ecclesiæ) modus citandi, qui magis opportunus est, adhibeatur. Deinde citationi edictali locus est, si propter potentiam, vel malitiam illius, contra quem inquiri debet, sive procedi, seu fautorum ejusdem non possit hoc exequi eo loco securè (ne ipse commo-

dum ex dolo, vel fraude oportet) ad id exequendum locum alium eligat idoneum, & securum; prout habetur in c. 13. *de offic. delegat. in 6.* Idem dicendum tertio, si citandus sit vagabundus, carens certo domicilio; tunc affigendum citatorium edictum in loco, ubi solet vagari; quarto, quando contradictor est incertus, & citantur omnes in genere, quorum interest, arg. c. *fin. de elect. in 6. in fine*, ibi: *aliàs generaliter in Ecclesia, in qua electio facta est*, ut si qui sint, qui velint se opponere, compareant, assignato peremptorio termino competenti, faciendam esse censemus. Quintò, quando quis beneficio Inventarii vult adire hæreditatem suspectam, & de certis creditoribus non constat: quo casu facienda est edictalis citatio creditorum, ut intersint confectio Inventarii. V. Gail. l. 1. *observ. 56. à n. 56.*

Quæres 4. quo jure requiratur citatio, quâ prætermisâ Reo præcluderetur via justæ defensionis? Resp. cum Baldo in L. *Executorem, C. de execut. rei judicat.* requiri jure naturali. Nam potestas, & facultas se defendendi, est juris & æquitatis naturalis: ergo de eodem jure naturæ sunt omnia media necessaria ad talem finem: ergo si citatio est hujusmodi medium, erit ejusdem juris, cuius est defensio; quod accipe, nisi Reus sciens contra se actionem intentandam, etiam non citatus se defendere nollit, cùm posset. Cæterum de jure positivo necessariam esse citationem, constat ex *2. ult. Institut. de pœna temerè litigant.* ibi: *omnium actionum institendarum principium ab ea parte edicti profisciscitur, quâ Prætor edicit de in Jus vocando.* Utique enim in primis adversarius in Jus vocandus est, id est, ad eum vocandus, qui jus diciturus est.

Cæterum loquendo de modis, quibus citatio fieri solet, Maranta in Speculo p. 6. *de Citat. n. 50.* enumerat sex, nimirum *personalem*, scilicet per arrestum personæ, quem etiam vocant *realem*; deinde *verbalem*; 3. *literalem*; 4. *edictalem*; 5. *affixa proclamata*; 6. *per sonum campanæ*: licet alii reducant solum ad tres formas, quibus fiat, nimirum *verbis, literis, & edictis*. Citare realiter, seu per capturam personæ potest solus Judex Ordinarius, non delegatus, ut constat ex c. 1. *de Judic. in 6.* in causis tamen civilibus id fieri non solet, cùm

cum citatus possit respondere per Procuratorem; & cum citatio realis sit, causam exprimere necesse est, saltem generaliter; quamvis consultius sit exprimere causam specialem, propter quam in jus vocatur; aliàs citatum non obligaret, maximè si fiat ad instantiam partis.

151. Citationem porrò *verbalem* (per nuntium, Notarium, vocem quoque ipsius Judicis) facere potest Judex tam ordinarius, quàm delegatus; sin autem Reus citetur per ipsum Actorem, non tenetur illi parere, nisi exhibeat instrumentum citationis à Judice; sicut non teneretur quis credere dicenti, se appellasse contra ipsum, nisi exhibeat instrumentum appellationis; quidquid enim contra citationem peremptoriam posset ab absente proponi, adversus appellationem hujusmodi valet allegari juxta c. *sepe contingit*, 44. de appell. ubi tamen additur, sufficere ad valorem processus citationem partis, factam ab Actore, si Reus ei fidem habeat, & appellationem sic intimatam approbet, ibi: *quia tamen propter hoc questiones prorogantur, presenti decreto statuimus*: ut si hujusmodi appellatio vel à Judice recepta, vel à parte fuerit approbata, post terminum appellationi præfixam edicti peremptorii, *vices obtineat*, ita videlicet, ut ex tunc in absentem perinde procedatur, ac si peremptoriè vocatus ad iudicium exitisset; idem ergo etiam valebit in ejusmodi citatione. Nec dictis obstat lex 5. ff. de judic. dicens: *si quis ex aliena jurisdictione ad Judicem vocetur, debet venire*; Prætoris enim est, estimare, an sua sit jurisdictione; nam lex ista loquitur de dubio juris, ubi controversia est de jurisdictione; in casu autem nostro dubium est facti, an Actor à Judice missus sit ad citandam partem? & in hoc dubio dicimus, citatum non teneri hoc credere, consequenter parere. Sed forsan etiam hoc dubium esse posset de Nuntio, an sit missus à Judice? Resp. concedi de Nuntio, qui dicit se missum à delegato, si citationi non simul adjungat fidem Authenticam commissionis sibi factæ, ut diximus *supr. argum. c. 21. de offic. delegat.* Secus est de Nuntio Judicis ordinarij, quando ille est, qui ab ejusmodi Judice in talibus functionibus adhiberi solet.

152. Citatio *litteralis* (nimirum per scripturam) ut legitima sit, debet continere. 1. nomen, & cognomen Judicis citantis, ut

Reo constet, num citatio fiat à Judice *competente*; 2. nomen, & cognomen citandi; 3. nomen, & cognomen ejus, ad cuius instantiam citatio fit; 4. ut inleratur causa, ut citatus eà cognitâ valeat instructus venire ad iudicium; 5. exprimatut locus certus, & securus, quo comparendum sit, nisi citatio fiat ab Ordinario; 6. dies juridica (nimirum non feriata) & terminus comparendi: quorum aliqua desumuntur ex c. 2. de dilationibus, & c. 2. de Rescript. in 6. alia constabunt ex seqq. quamvis non omnia ubique sint recepta. Unde in his spectanda erit legitima Tribunalium consuetudo. Citationem porrò faciendam esse in scriptura censent aliqui in seqq. casibus 1. si fiat à Judice delegato, propter dicta n. priori; deinde, quando citatur persona illustris; 3. quando destinatur executor ad occupanda bona fisco delata, ut dicitur L. 5. C. de jure Fisci; 4. quando destinatur Nuntius citans realiter, nimirum per Capturam bonorum, vel personæ; 5. si fiat citatio per nuntium non consuetum, sed specialiter electum; 6. si fieret extra provinciam; 7. si fiat in domo, & non personalis; hæc Marauta citatus à n. 75.

Quæres. 5. an citatis, quod coram Judice delegato comparere debeant, communicari debeat rescriptum delegationis unâ cum citatione? Resp. debere regulariter saltem in legitimo ejus transumpto; quia nisi delegatus fidem authenticam suæ delegationis faciat, citatus non cogitur parere; teste Innocent. c. *cum jure*, n. 4. de elect. Gail. l. 1. observ. 48. n. 17. Maranta de Ord. p. 5. n. 75. non quod *Originale Pape rescriptum* mittere teneatur; sed manu Notarij transumptum; excipe nisi agatur de præjudicio non gravi, quia facile, & sine magnis expensis accedere potest citatus ad videndum rescriptum, præsertim si delegatus magnæ autoritatis sit, aut cui talia rescripta frequenter mittuntur; tali casu sufficet citatio, non inserto rescripto, uti monet Panorm. arg. L. 5. ff. de judicijs, & quoniam citatio tendit ad faciendam præsentiam citandi, si quis jam præsens sit in iudicio propter aliquam causam, potest ei tunc præsentem offerri alia etiam causa, seu actio, ut notat Panormitanus in c. *Pastoralis*, 5. de causa possess. numer. 7.

Quæres

153

154.

Quæres 6. an citatio fieri possit per terminum primâ statim vice *peremptorium* ad totam causam, si longè absit citandus? Respond. quòd sic, modò etiam sufficiens illi tempus detur ad deliberandum, & causam instruendam; quamvis in causa impeditenti supervenientis citationi, etiam *peremptoriae*, nova dilatio concedi possit, quòd apertè probat casus expressus in *c. fin. de dilat.* qui sic habet: inter Bituricensem, & Burdegalensem Episcopos controversia erat super jure Primatiz, quam ob rem Greg. IX. citavit Archiepiscopum Burdegalensem ad initium quadragesimæ, terminum ei *peremptorium* assignando, ut vel per se, vel per Procuratorem Apostolico conspectui se præsentet, sed postea ab eodem Pontifice personaliter vocatus, consilii seu subsidii alicujus afferendi causâ Romam venit, ubi etiam Bituricensis Episcopus constitutus instanter postulavit, ut in dicta controversia procederetur. Sed Burdegalensis domum abiens, procuratorem ad eam causam reliquit, qui salvis exceptionibus, sibi respondendo, ac defendendo competentibus omnia agere posset, quæ ipse Archiepiscopus in propria persona. Cùm igitur Bituricensis Procuratorem urgeret ad respondendum, ipse excepit, se ad id non teneri, cum Burdegalensis Archiepiscopus jus haberet, *causam domum revocandi*, quandoquidem ob aliam publicam causam vocatus, Romam advenisset, sed nequè cum Coëpiscopis, & aliis, quorum consilium in causa tam ardua requirendum est, consultatum fuisse, quia tantum tempus non suspetebat Archiepiscopo, ut ad utrumque negotium instructus Romam accederet. Ex parte verò Bituricensis replicatum fuit, quòd Papa jam antè Burdegalensem citavit ad causam istam peragendam, nequè hoc citatorium suum per posterius personaliter veniendi, mandatum revocasse, tantum quoquè spatium temporis habuisse Burdegalensem, ut sufficienter deliberare potuerit, quòd ipsum etiam cum quibusdam facere jam aggressus esset. His utrinque auditis, Gregorius IX. adhibito Cardinalium consilio *dilationem aliam usque ad Nativitatem Domini indulxit.*

Præter hæc not. si contingat aliquem citari *ad diem festum*, non citari eo sine, quòd

eo die in judicio comparere debeat; sed quòd suam præsentiam *ultra eum diem* differre non debeat; & citationem, ad tempus *quadragesimæ* prolatum simpliciter, intelligendam esse de quadragesima *proxima*, nisi ex adjunctis aliter judicandum sit; ratio sumitur ex *L. 41. ff. de Verbor. obligat.* ibi: *eum, qui Calend. Januar. se datum respondit*, intellexisse videri de *proximis*, nisi ex adjunctis aliud colligi debeat. Item Commissarios, quibus à Papa munus citandi committitur, non posse hoc *alii, autoritative faciendum*, committere, quamvis per alios promulgare edictum citationis possint.

Quæres. 7. quid agendum citato à duobus superioribus, si ad utrumquè, prout oportet, nec per se, nec per alium, venire possit? in hac quæstione tradunt Doctores communiter, posse considerari. 1. erga quem prius contraxerit obligationem, & quidem fortiorem alterâ? 2. à quo prius citatus sit? ex primo capite docent, Clerico citato ab Episcopo, & Principe laico, in dato casu parendum Episcopo; in secundo, Vasallo citato à duobus Dominis, à quorum quolibet feudum habet, parendum potius ei, à quo prius feudum accepit; nam obligatio posterius contracta intelligitur salvo jure prioris; sic Layman *in c. cum parati, 19. de appellat. n. 3.* Cæterum si quis ab uno Superiore citatus, ab alio Superiore prohibeatur sub comminatione gravis pœnæ, unde pateretur grave damnum, non posset censeri contumax respectu citantis non comparendo, si alterius prohibitio jure aut privilegio nitetur, v. g. ne sui subditi evocari extra suam provinciam possint, privilegio sæpius opposito etiam Sedi Apostolicæ, cùm subditos ejus extra provinciam evocasset, & allegationi acquiescenti, designando Judices intra provinciam; sic enim saltem tacitè, & facto privilegii allegationem censetur agnovisse, & approbasse.

Quæres. 8. quis sit effectus citationis? 156.
Resp. citationi legitime factæ plures tribui effectus; primus est, quòd, si citatus non compareat, nec legitimam excusationem afferat, eva dat reus contumaciæ, de qua ex professo tit. 14. agitur; secundus est, quòd constituat citatum legitimum contradicentem Actoris, ut hic præjudicet sibi, quoad causas, ex quibus alias Reus repelli posset,

posset, nisi citatio fiat sub conditione, si licite, & valide conveniri possit, aut existimet suam interesse; tertius est; quod inducatur præventio, vi cuius nec mutatio status, nec domicilii citatum eximat à foro, pro quo citatus est, ut dicitur *L. 7. ff. de judicijs*, ibi: si quis, postquam in jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse cæperit, in ea causa jus revocandi forum non habebit, quasi præventus. Quod tamen intellige de citatione, quâ dicitur alius, cui fortè mutato statu, vel domicilio, subditur, præventus cum effectu, nimirum cum citationis executione, v. g. consignatione libelli; aliàs enim non dicitur novos ejus Judices prævenisse, ut colligitur ex *L. fin. §. 1. C. de in jus vocando*, ibi: qui libellum accepit, etiamsi in aliud officium translatus sit, miles fortè vel Clericus factus, respondeat omnino in primo foro, quod secundum primam ejus conditionem censetur competens, nullam habens fori præscriptionem.

Quartus legitimæ citationis effectus est, quod citatio, ad instantiam Actoris facta, tollat eidem potestatem eligendi inter plures Judices, si fortè, ut contingit in causis mixti fori, potuisset super eadem causa agere apud hunc, vel illum, prout dicitur cit. *L. fin. §. 2.* ibi: qui semel in jus vocavit, si post admonitionem à Reo oblatam eum ad aliquem Judicem ob eandem causas vocaverit: & cum indemnem præstet, & causa cadat, etsi justam habeat actionem. Quintus effectus est, quod firmet jurisdictionem delegati sic, ut non expiret morte delegantis, re cæteròquin integrâ, etiam lite non contestatâ; quia licet Lucius III. secutus Legistas, existimavit, rem tunc primùm desinere, esse integram, cum litis contestatio facta est, ut colligitur ex *cap. 19. de offic. Jud. deleg.* Urbanus tamen III. statuit, id contingere factâ citatione, ut constat ex *c. 20. eod.* ibi: respondemus, quod cum citatione factâ negotium sit quasi captum, & maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest, & debet in causa procedi, tenebitque, quod justitiâ fuerit præviâ definitum; idem tradit Zoësius *L. 2. ff. tit. 4. de in jus vocando*, n. 22. Sed de hoc agimus lib. 1. ubi de officio Jud.

Tom. II.

Sextus est, quod per citationem res controversa, seu actione reali in eam intentatâ, evadat litigiosa, cujus effectus est, quod lite pendente ejus alienatio per emptionem, vel alium contractum non valeat; quod intellige de alienatione voluntaria, non necessariâ. Ratio primæ partis, quando res est mobilis, sumitur ex *Novella 112. c. 1.* ibi: ideoque sancimus litigiosam dici, & intelligi rem mobilem, seseque moventem, de cujus dominio causa inter petitorum, & possidentem movetur, aut per judicariam conventionem, aut per preces Principi oblatas, & insinuatâs Judici, ac per eum adversario interpellatoris cognitâs. Quando autem est immobilis, ex Authent. inde desumpta, *C. de Litigiosis*, ibi: Litigiosa res est, de cujus dominio causa movetur inter possessorem, & petitorum judicariâ conventionem, vel precibus Principi oblatâs, & Judici insinuatâs, & per eum futuro Reo cognitâs. Ratio secundæ partis est ex *L. C. eod.* ibi: lite pendente actiones, quæ in judicium deductæ sunt, vel res, pro quibus Actor à Reo detentis intendit, in conjunctam personam, vel extraneam, donationibus, vel emptionibus, vel quibuslibet aliis contractibus minimè transferri ab eodem Actore liceat, tanquam si nihil factum sit, lite nihilominus peragenda.

Idem dicitur, annexis quoque pænis; *L. 4. C. eod.* ibi: censemus, ut si quis lite pendente, vel actiones, vel res, quas possidet, ad alium quendam transtulerit, sive scientem, sive ignorantem, vitio litigiosi contractus subjacere: distinctione quâdam inter contrahentes observandâ, ut si quis sciens vel ad venditiones, vel ad donationes, seu ad alios contractus accesserit, cognoscat se compellendum, non tantum rem reddibere, sed etiam pretio ejus privari, non ut lucro cedat ei, qui rem alienavit, sed ut etiam alia tanta quantitas ab eo filci jure inferatur: Sin autem ignorans rem litigiosam emerit, vel per aliam speciem contractus eam acceperit, tunc irritâ rei alienatione factâ pretium cum alia tertia parte recipiat. Justum est enim, propter dolosam mentem, & absconditam machinationem, cum non emptori manifestaverit, rem in judicium deductam fuisse, in

G

ter=

tertia parte pretii eum puniri, ex quo etiam habetur ratio tertiæ partis, prout dicitur in ead. L. 3. §. 1. ibi: *exceptis his, qui vel dotis nomine, vel ante nuptias donationis, vel transactionis, aut divisionis rerum hereditariarum facta, vel per legati, vel per fideicommissi causam tales res, vel actiones dederint, vel acceperint:* excipe tamen etiam eum calum, quo res litigiosa fieret obnoxia Religioni ab eo, qui scit rem factam esse litigiosam; talis enim alienatio non rescinderetur, ob favorem Religionis, ut constat ex L. fin. C. de litigios.

158. Septimus est, quod inducat *pendentiam litis*, quâ stante nihil debet innovari; ut habetur in Clement. 2. ut lite pendente, ibi: *cum lite pendente nihil debeat innovari, litem quoad hoc pendere censemus, postquam à Judice competente in ea citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit: vel per eum factum fuit, quo minus ad ejus notitiam perveniret.* Dum tamen in citatione prædicta talia sint expressa, per quæ plenè possit instrui, super quibus in judicio convenitur. Ceterùm de hac materia agemus tit. 16. Octavus effectus est, citatione interdum etiam longissimi temporis præscriptionem interrumpi; sed de hoc agimus tit. 26. de præscript.

159. Præter hæc not. 1. à Judice domicilii subditum citari posse etiam extra territorium ubicunque existentem, citatione tamen factâ intra territorium domicilii; ubicunque enim existat, subditus est ad parendum judici domicilii. Not. 2. citationem *in domo* esse faciendam ad illam domum, ubi citandus habet familiam; eo & aliis absentibus, affigendam esse schedam ad januam; si autem non habeat certam domum, citandum esse loco, quo frequentius est, aut edicto. Not. 3. quando partes sunt in diversa diæcesi, olim non licuisset delegato citare ad quantamcunque distantiam, sed solum ad duas dicetas, c. 2. 8. de Rescriptis; nunc autem non ultra unam, nec nisi impetratam de consensu partium, vel in rescripto expressam cap. 11. eodem. in 6.

160. Not. 4. Magistratus *perpetuos*, nimirum constitutos ad tempus indefinitum,

posse in jus vocari ex L. 48. ff. de *Judiciis*; aliàs enim pars læsa careret, & omni spe consequendi jus suum; non autem Magistratus *non perpetuos*, qui tales sunt cum imperio, sic, ut nec per Procuratorem teneantur tunc comparere, ut colligitur ex cit. L. 48. nisi delinquant vel per abusum sui muneris, vel non usum debitum, L. 4. C. ad Leg. Jul. repetu. d. quo casu citari potest etiam durante Magistratu, ut constat cit. L. 4. ibi: *vel administrante eo; & Novella 86. c. 4.* modò citentur in tempus finiti magistratus. Dixi, *qui tales sunt cum imperio*; nam alii Minores Magistratus, etiam durante Magistratu possunt in jus vocari, ex L. 32. ff. de *injuriis*, ibi: *si ex minoribus Magistratibus erit*, id est, qui sine imperio, aut potestate sunt Magistratus, & in ipso Magistratu posse eos conveniri; & L. 29. ff. ad Leg. Aquil. §. 5. ibi: *Magistratus municipales, si damnum injuriâ dederint, posse Aquiliâ teneri.* Nam & cum pecudes aliquis pignori cepisset, & fame eas necavisset, in factum actio danda est.

Not. 5. Patremfamilias (nisi ratione pecuniæ castrensis) ne quidem petita veniâ, posse à filiofamilias in jus vocari. Nam *lis nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio*; verba sunt L. 4. ff. de *Judiciis*; secus dicendum est de parentibus à suis descendens, petita Judicis veniâ; & de Patre adoptati; ille enim in jus vocari potest ab adoptato per L. 7. ff. de in jus vocando; quin tamen tali adoptato, vel arrogato in jus vocare liceat Parentes naturales, ut dicitur L. 7. cit. ibi: *sed naturalem parentem, ne quidem dum est in adoptiva familia, in jus vocari*, intellige, *non petita veniâ.* De reliquis, qualiter in jus vocari possint Patroni, V. Legistarum.

§. III.

Qualiter Actor, & Reus comparere debeat?

CUM ex dictis constet, & habeatur L. fin. C. de exhibend. Reis, *neminem in judicio*

judicio exhibendum esse, nisi de cujus exhibitione Judex pronuntiaverit, consequens est, citatum non teneri ad comparitionem, nisi ei fides fiat, ipsum Judicis mandato in jus vocari. Hinc quaestio prima est, an citatus, absque nota contumaciae, possit citantis forum declinare, si privilegio exemptionis ab illo, munitus sit; Resp. ex L. 5. de Judicijs, debere comparere saltem per Procuratorem, ac privilegium exemptionis exhibere, si non sit notum Judici, aut notorium; sic enim habet textus citatae legis: *si quis ex aliena jurisdictione ad Praetorem vocetur, debet venire*: Praetoris est enim aestimare, an sua sit jurisdictio? Vocari autem, non contemnere auctoritatem Praetoris: nam & Legati, ceterique, qui revocandi domum jus habent, in ea sunt causa, *ut in jus vocati veniant, privilegia sua allegatur*.

163. Porro Actor comparens debet Reum expectare in Judicio, utrum se sistat? et si non comparet, ejus contumaciam accusare potest: Reus autem, si protestando velit in pedire prorogationem jurisdictionis, & notam contumaciae, debet uti hujus sensus formulâ: *comparco coram vobis in termino praefixo; per hoc tamen non intendo in jurisdictionem Vestram consentire, nisi quatenus jure teneor*; sic Andreas Gail. observat. 48. n. 24. Dies autem, ad comparendum praefixus, extenditur à manè usque ad vespertum, intra tenebras; sic enim habetur in c. Consultuit, 24. de offic. delegat. ibi: *ne verò judicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris &c.* nos eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere, quod incumbit. Porro discretus Judex, in assignatione peremptorii, non debet jurisdictionem suam (nisi necessitas exigat) ad eò coarctare. Ex quo deducitur, quòd Judex malè agat, de nocte judicium instituens; si tamen partes non excipiant, acta valeant; multa enim fieri prohibentur, quae tamen facta tenent, c. ad Apostolicam, 16. de regul. & gloss. in cit. c. 24. V. tenebras; licet aliàs omnia negotia (v. g. contractus, transactiones, beneficiorum collationes, &c.) regulariter de nocte geri possint; intellige nisi jus scriptum, aut consuetudo repugnet.

Ex eodem c. habetur, quòd Judex citans partem ad certum diem, si in eo non

Tom. II.

compareat, expectare possit ad diem sequentem; non tamen teneatur; sed etiam absente parte procedere possit ad definitivam sententiam contra contumacem: teneri tamen alteram partem, quae praesens est, expectare, si sequenti die Judicis jurisdictione non expirat; expensas autem majores debere refarciri, si propterea majores factae essent.

§. IV.

De Judice.

CUM constet in omni judicio debere 164
intervenire tres, Judicem, Actorem, & Reum, pauca de illis hoc loco subjungemus; de Judice porro, ac ejus officio, sive Ordinarius, sive delegatus sit, pleraque jam diximus L. 1. à tit. 29. ubi & Judicis definitionem, & varias Judicum species retulimus. Quam porro quis obligationem habeat, non suscipiendi officium Judicis, quando sibi conscius est suae imperitiae, tractant morales Theologi de statibus hominum, communiter asserentes, teneri, non suscipere, si praevidet, exinde nasciturum grave damnum litigantibus vel in ipsa substantia litis, vel in expensis; sic enim Judex, acceptans officium, conscius imperitiae suae, in propinquo periculo eorum damnorum constituit litigantes, ad quod tamen cavendum ex justitia tenetur.

165
Ulterius quaeri potest. 1. quam opinionem sequi teneatur Judex, in casu dubio, quo utriusque partis jura habent opiniones pro se probabiles, sed incertas in quaestione juris? nam in quaestione facti, Actore non probante, Reo favendum est, ut diximus alibi: tota difficultas est de casu, quo quaestio juris sic probabilis est; ut neutra pars Judici probabilior appareat, intellectu in neutram magis inclinante. Prima sententia dicit, decisionem eo casu relinqui Judicis arbitrio; altera, si partes nolint transigere, rem, si dividi possit, esse dividendam; si secus, uni adjudicandam, cum onere parti alteri compensandi dimidium secundum aequam pretii, & valoris aestimationem.

In hac quaestione videtur dicendum cum secunda sententia, nisi uni litigantium accedat possessio, quae ceteris paribus causam ejus reddat potiore; nam si stan-

G 2

te pari

te pari utrinque probabilitate pro & contra quæstionem juris, Judex uni adjudicaret totum, exponeret se periculo dandi minus uni, & plus alteri, quàm mereatur ejusque jus, prout æstimatur à mente Judicis; hoc autem illicitum est; nam in hoc casu non attenditur cujusque jus, prout est in se, cum ponatur hoc incertum Judicis; ergo solum attendi debet, prout est in mente Judicis ex merito probationum; at sic ponitur utriusque jus æquale, ac unius tantum, & non majus, quàm alterius; igitur dando uni totum, alteri nihil, exponeret se periculo uni dandi minus, alteri plus, quàm mereatur cujusque jus, prout æstimatur à mente Judicis fundata in meritis probationum pro cujusque jure.

166.

Quæri potest. 2. an Judici liceat judicare contra veritatem sibi notam ex his, quæ in contrarium proponuntur? Resp. dupliciter posse contingere, probationes esse contra veritatem notam Judici. 1. quando Reus verè fecit delictum notum Judici, per probationes autem ostenditur innocens; 2. si contra innocentiam Rei verè notam Judici, probationes legitimæ probant nocentem. Et de hoc secundo casu quæstio est, an Judex Reum, quem privatâ notitiâ scit innocentem, nihilominus tanquàm juridicè convictum damnare possit? diversæ in hoc sunt opiniones Doctorum; prima tenet in hoc casu nec in ulla causa civili, vel criminali, licere Judici talem damnare, sed teneri ipsum absolvere, vel cessare à judicando; ita Hugo *L. Prator, ff. de jurisd. omnium Jud.* Panorm. & Calder. *c. Pastoralis, de offic. deleg. Angel. V. judicare, n. 7.* rationem dant, quia judicare contra veritatem, est contra jus naturale, & divinum; ergo non licet. Item, utilius nasci scandalum permittitur, quàm veritas relinquatur, *c. qui scandalizaverit, de reg. juris, in 6.* item, probationes juridicæ ordinantur ad hunc finem, scilicet veritatem manifestandam; ergo si ad falsitatem inducunt, non sunt admittendæ.

Secunda sententia est, quòd in causis civilibus bene possit Judex juxta probata judicare, non tamen in causis criminalibus; ita Adrianus, in quodlib. *q. 6. a. 3.* Immo-la, & alii jurisperiti, *L. à Divo Pio ff. de re judic.* Hostiens. Innocent. Felin. in cir. *c. pastoralis*; rationem dant, quia nullus ho-

mo est Dominus vitæ, & membrorum; ergo ex consensu, & auctoritate reipublicæ non potest Judex habere auctoritatem ad damnandum innocentem in criminalibus, propter probationes in contrarium inductas, quia non potuit transferre in reipublicam dominium, seu potestatem, quam in se non habebat: at verò in civilibus, quia homo est Dominus bene non unum, potuit talem auctoritatem tribuere. Etia hoc sensu intelligitur *c. pastoralis, de offic. deleg.* ubi dicitur, quòd Judex exequatur sententiam delegati contra innocentem, non in criminalibus, quòd esset injustum; sed in civilibus; sic exponunt hoc cap. Panormit. Felin. Alciat. Anchar. & alii.

Tertia docet, bene posse, & teneri Judicem judicium ferre, & damnare (contra veritatem à se cognitam) innocentem, qui juxta allegata, & probata nocens est, quando non potest medium juridicum invenire, quo se possit secundum leges excusare. Prob. ratione Divi Thomæ, 2. 2. *q. 68. a. 2.* quia, cum Judex sit persona publica, & potestas, quæ judicat, sit publica, debet sequi in judicando scientiam publicam, & non privatam, id est, quòd sibi innotescit tanquàm Judici per media jure & legibus constituta, & approbata. Item, quia contra leges non admittitur probatio in contrarium; ergo nec contra probationes legitimas admitti debet notitia particularis contraria. Sunt etiam aliæ rationes, quas asserunt Doctores, ita D. Thomas 2. 2. *q. 67. a. 2.*

In hac quæstione controversa plures eorum, qui communiter tuentur opinionem tertiam, requirunt in Judice, ut prius, quàm ad sententiam condemnatoriam procedat, adhibeat remedia, quibus si possit citra grave incommodum, innocentem liberet. Unde communis tenet, si negotium innocentis agatur extra judicium, ut contingit in distribuendis officiis, & oneribus, in conferendis beneficiis, dispensationibus, ordinibus, & aliis hujusmodi, quæ arbitrio, & prudentiæ Judicis committuntur, non teneri probata sequi; sed veritatem, quam ipse certò novit: ratio est, quia in his rebus non constringitur à legibus, sequi probationes; ita Sylvester *V. Judex, 2. q. 5.* similiter supremus Princeps, qui potestatem habet leges condendi, & conditas derogandi, poterit sententiam

167.

tiam dicere juxta propriam, & privatam sententiam, tamen si contrarium in judicio probatum sit; quia Legislator non ligatur suis legibus, & ita potest hac potestate uti; modò caveatur scandalum; quod fiet, si populo suam sententiam manifestet.

168. Nec est dubium, Judicem inferiorem, antequàm secundùm probata judicet eum, quem certò novit innocentem, teneri media, & cautelas commodas adhibere, ut sic defendat illum, v. g. suo ingenio se juvare, iterum, & exactius examinando testes, & instrumenta, interrogando de tempore, loco, & forma, ut vel sic testium falsitatem deprehendat; etsi per remissionem talis innocentis ad Judicem superiorem probabile esset, eum à morte liberandum esse, probabilius est teneri Judicem remittere, saltem lege charitatis communis.

169. Difficultas est, an, quando prædicta media non proficiunt, possit, imò teneatur Judex inferior ferre sententiam juxta allegata, & probata? quid in contrarium privatus sciat; affirmativam, ut dixi, tenet opinio tertia relata n. 166. & eam sequitur Sanchez Consiliorum moralium L. 6. c. 1. dub. 17. n. 15. nixus iisdem fundamentis, quibus utitur opinio tertia, relatis. ibid.

Verùm sententiam indefinitè affirmantem, jam alibi rejecimus, admittentes eam in causis civilibus, ubi agitur de bonis, quibus renuntiare potest Reus; non in criminalibus, ubi agitur de vita, vel mutilatione; nullus enim est Dominus vitæ suæ, ac membrorum. Ratio autem hujus est, quia, quod est intrinsecè malum, nullà potestate humanà licitum fieri potest; directè occidere verè innocentem, est intrinsecè malum; ergo nullà potestate humanà licitum fieri potest; si autem Judex vi legum humanarum posset licitè condemnare per sententiam latam directè contra vitam Rei, qui probatus est nocens, quem scit verè innocentem, directè per humanam potestatem deberet illi fieri licitum, quod nullà humanà potestate fieri potest licitum; ergo. Deinde Judex Ecclesiasticus, certus, Bertam, quæ in judicio repetit Cajum, tanquàm maritum, non esse uxorem Caji, non potest Cajum condemnare ad conjugaliter convivendum Bertæ, quantumvis per testes legitime probatum esset ipsum esse maritum Bertæ; sic enim cogere

ret ad id, quod est intrinsecè malum, nimirum ad carnalem copulam cum non sua; sed idem est in nostro casu. Sed hoc jam diximus alibi, sententiam indefinitè affirmantem etiam in criminalibus non admitti; quia nulla humanà potestate fieri potest licitum, quod est intrinsecè malum, secluso errore; directè autem occidere hominem verè innocentem est intrinsecè malum.

Hinc negandum est, quòd Judex *invincibiliter* ignoret hominem esse verè innocentem, aut Cajum non esse maritum Bertæ, si privatà scientià novit oppositum, licet hoc non sciat *ut Judex*, seu per probationes judiciales; per hoc enim non potest dici *ignorare*; hoc enim dicit privationem scientiæ in subjecto circa id, quod *ignorari* dicitur, vel saltem positivum errorem, si sit ignorantia præva dispositionis. Nec minus pertinet ad bonum publicum, ne quis sciens, Bertæ nullum esse jus ad actum intrinsecè malum, cogat Cajum ad talem actum; quam ne quis sciens in homine nullum esse debitum ad poenam mortis, directè cogat ad poenam nullo jure debitam, cum sic cogere sit intrinsecè malum.

Deinde licet Ordinarius exequi debeat sententiam à delegato commissam, licet sciat eam esse injustam, ut dicitur in *c. Pastoralis*, 28. §. *quia verò*, tamen ad hoc, ut ait textus, non aliter tenetur, quàm si apud eum efficere non possit, ut ipsum ab hoc onere absolvat; sed resignando suum officium potest hoc efficere; & tenetur, ne committat actum intrinsecè malum. Neque novum est, quòd licitè plus deferre possim scientiæ, ac evidentiæ, quam habeo, quàm centum testibus in contrarium; sic, si evidenter scio, me toto hoc anno non fuisse Romæ, justissimè notitiam in me evidentem præfero testibus affirmantibus, quòd hoc anno me viderint Romæ, sic enim mihi evidens est, eorum testimonium esse falsum.

Nec ad præsentem casum quicquàm facit, quòd Judex non possit licitè non condemnare ad mortem, qui Reus mortis per legitimas probationes in judicio vincitur, licet certus sit de ipsius innocentia, certitudine unice habità per sacramentum poenitentiae; nam quia secretum confessionis ex institutione Sacramenti est juris

divini, & eo uti non licet etiam ad salvandam vitam innocentis sic præcipiente Deo, qui est Dominus vitæ hominum, non erit intrinsicè malum tali casu condemnare innocentem; secus est, extra talem circumstantiam, disponente jure solùm humano, ut Judex posthabita scientiâ privatâ procedat ex scientia publica, id, quod non subest in tali casu humanæ potestati.

#71.

Quæres 3. an, & qualiter teneatur Judex judicare secundùm leges scriptas, præsertim in poenis? ante resolut. not. 1. poenam aliquando esse taxatam à jure, seu lege, quo casu dicitur *legalis*; aliquando non, sed committi arbitrio Judicis, & tunc dicitur *arbitraria*, non quòd judici relinquatur liberum, *punire, vel non punire*; sed quòd debeat punire sic jubente lege, quantitate tamen, & qualitate pœnæ, relicta ipsius *arbitrio*, hoc est, prudenti judicio consideratis circumstantiis puniendi, quoad ætatem, sexum, statum, &c. Not. 2. ex duplici causa posse fieri, quòd quandoquè remittatur pœna. 1. ex sola voluntate, & indulgentia Judicis; 2. ex aliqua justa causa, vel circumstantia, minuente delictum. Not. 3. interdum imponi poenam pro solo bono communi; interdum etiam in satisfactionem partis læsæ per puniendi delictum; Not. 4. sermonem hic esse de pœna legis solùm humanæ; quibus præmissis:

#72.

Ex dictis lib. 1. n. 612. constat, Judicem, etiam Ecclesiasticum, in actionibus, & judiciis non suo, sed sacrorum canonum sensu debere duci, & judicare; non autem de legibus, ut notavimus ibid. n. 613; nec etiam indefinitè solùm secundùm allegata, & probata, si certus sit de ipsorum falsitate; interdum tamen posse relicta literâ, procedere secundùm mentem legislatoris rationabiliter præsumptam, etiam in minuendis pœnis, ut notavimus lib. 1. à n. 614. de quibus videri possunt dicta ibidem à n. 313. ubi etiam exposuimus non licere Judici pœnam legalem, & taxatam remittere, aut minuere, nisi ex justa causa, & certis casibus; unde sumenda erit resolutio ad quæst. 3.

#73.

Quæres 4. an Judex possit supplere defectum commissum à litigantibus, vel his, qui judicio assistunt? videtur affirmandum indefinitè ex *L. unic. C. tit. ut quæ defunt advocatis partium*, Judex suppleat, ibi:

non dubitandum est, Judicem, si quid à litigatoribus, vel ab his, qui negotiis, assistunt, minus fuerit dictum, id supplere, & proferre, quòd sciat legibus, & juri publico convenire. Verùm hanc legem Doctores communiter accipiunt, ut ei locus sit in *quæstione juris*, non *facti*, etiam notorii. Contingere enim potest, quòd Advocatus non adducat legem, quæ statuit in favorem sui clientis; quo casu Judex nihilominus potest, & debet judicare secundùm illam; hoc enim postulat ejus officium, ut num. præced. diximus; si autem omittat allegationem facti, non debet supplere Judex; quia notorietas non excusat ab onere allegandi factum, sed tantùm præstandi probationem. Cœterùm ad factam quæstionem plurimum facit textus in *c. Judicantem*, 30. q. 5. ubi Eleutherius Papa scribens ad provincias Galliæ sic loquitur: *judicantem oportet cautè rimari, & ordinem rerum plenè inquisitione discutere: interrogandi, respondendi, objicendi que præbita patientiâ ab eo, ut, ubi actio ambarum partium illuminata sit plenè: nec litigantibus judex prius vellet suâ sententiâ obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus, nihil habeant in quæstione, quòd proponant: & tandem actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniat. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermisissum fortè remaneat, quòd annecti conveniat.* Ex hoc enim deducitur, Judicem etiam non rogatum, ex officio plura posse præstare, cujusmodi est, etiam denuò testes examinare ad rectius inquirendam veritatem; juramentum calumniæ à partibus exigere, calumniosas exceptiones, vel animo calumniandi objectas rejicere, notorias subreptiones declarare, libellum manifestè ineptum repellere, Advocatos, qui plus ponunt in cavillis, quàm meritis ad cause patrocinium spectantibus reprehendere, & universim providere, ne judicium reddatur elusorium, aut, prout debet, cum requisitis solennitatibus celebretur.

Quæres 5. an Judex uti possit notitiâ, injustè acquisitâ? ante resolut. not. notitiam dici acquisitam injustè. 1. quando confessio obtinetur per torturam injustam; vel quia necdum adfuerunt sufficientia indicia ad torquendum, vel quia persona fuit privilegiata. 2. Si notitia obtineatur à testibus

174

Atibus per injustas interrogationes; 3. si inquisitio facta est non præcedente debitâ infamiâ vel iudicijs; 4. si fraudulenter promissâ impunitate obtineatur: quibus positis, videtur affirmandum. 1. quia quando Reus per tertium, sine cooperatione iudicis, dolo, vel vi extrahitur ab asylo Ecclesiæ, capi potest per iudicem, ut jam extractus; ergo similiter potest procedere ex confessione Rei, licet injustè obtentâ per tertium non cooperante iudice. 2. iudex uti potest notitiâ per testes, licet injustè illos interrogaverit; aut testes injustè notitiam illam acquisiverint; ergo. Resp. nihilominus dicendum negativè; quia notitia injustè obtenta debet haberi *pro non obtenta*; cum enim per injustitiam sic commissam injurians fiat Reus, & obligatus ad damnum læso reparandum, & hoc non fiat, nisi deponendo talem notitiam quoad effectus ex injuria commissa secuturos, eo ipso haberi debet pro non obtentâ; iudex autem judicialiter uti non potest notitiâ *non obtentâ*; procedendo enim, manifestè abuteretur potestate judiciariâ, quæ solùm est ad usum ex notitiâ justè acquisita. Ad 1. in contrarium Resp. quando iudex non committit injuriam in notitia acquirenda, non teneri eum ad reparandum damnum (consequenter notitiam non posse haberi pro non obtenta) sed solùm illos, qui injustè illi talem notitiam fecerunt, adeoque instantiam, licet transmittatur antecedens, nihil facere contra nostrum casum. Ad 2. N. antecedens; quia iudex injustè interrogando testes, lædit jus Rei, quod habet adversus eum, ne per abusum judiciariæ potestatis procedat.

175. Quæres. 6. an, & qualiter contingat, quòd iudex *litem faciat suam*? ante resolutionem not. tunc dici, quòd iudex *litem faciat suam*, quando per suam sententiam præjudicium causat Reo, quem condemnat, sic, ut ei in tantum teneatur, quantum Magistratui, aut Prætori videbitur; hoc dupliciter contingit. 1. quando per imperitiam; 2. quando dolo malo tulit iniquam sententiam; primum habetur ex Institut. de oblig, quæ quasi, ibi: *si iudex litem suam fecerit, non propriè ex maleficio obligatus videtur*: Sed quia nec ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, & utique peccasse

aliquid intelligitur, licet per imprudentiam, *ideo videtur quasi ex maleficio teneri*, & quantum de ea re æquum religioni judicantis videbitur. Secundum ex L. 15. de Judicijs, ibi: *Judex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo, in fraudem legis, sententiam dixerit*. Dolo malo autem videtur hoc facere, si evidens arguatur ejus, *vel gratia, vel inimicitia*, vel etiam *sordes*: ut veram æstimationem litis præstare cogatur.

Pro intelligentia hujus resolutionis not. 176. 1. non idem esse iudicium in æstimatione damni à Iudice causati condemnato per iniquam sententiam *ex imperitia*, & sine dolo; ac est in casu, quo id contingit *ex dolo*. Nam quando præjudicium contingit solùm *ex imperitia*, Iudex tenetur tantùm secundùm vires peculii tunc existentis, quando judicavit; si autem *ex dolo*, tenetur ad æstimationem litis simpliciter. Deinde, *ille* tenetur solùm post sententiam iudicis; *iste* verò etiam ante omnem sententiam propter formalem injuriam, quæ jure naturali restitutionem damni petit.

Not. 2. quando sententia per imperitiam lata, *est manifestè nulla* (propterea v. g. quòd contineat manifestum juris errorem) cum eo ipso non detur executioni, iudicem tali casu teneri solùm ad expensas condemnato, quia sic Reus damnum aliud passus non est; unde aliud rursus emergit discrimen inter iudicem, qui *malitiosè*; ac eum, qui solùm *imperitè* iudicando præjudicium causavit condemnato per iniquam sententiam; *ille* enim propter actionem formaliter injustam, quæ Reo nocuit, non potest solum huic repetere ab eo, cui per malitiam adjudicavit rem controverfam; quia quod solvit læso, debebat *de suo* propter actionem injustam malitiosè iudicaturus; id, quod non cadit in eum, qui per imperitiam, sed sine actione injusta formaliter, & injuria, præjudicium causavit Reo. Et quamvis L. 16. ff. de iudicijs dicatur, falsa sententia Juliani, qui dixit, *in heredem iudicis*, qui litem suam fecit, *competere actionem*; eò quòd actiones ex quasi delicto non dantur contra hæredes, nisi cum delinquente fuerit lis contestata; quia tamen hæres tenetur omnibus obligationibus defuncti, natis *ex injusta illius actione* (hæc

(hæc enim est prima radix restitutionis læso facienda debita jure naturali, in conscientia) consequenter naturaliter obligabitur ad refarcienda quævis damna Reo, per Judicis sententiam ex dolo, seu malitia latam causata.

178. Quæres. 7. an *qualibet* sententia Judicis naturaliter, seu in conscientia obliget? ante resolut. not. 1. sententiam latissimè acceptam usurpari multipliciter tum apud Latinos, tum apud juris interpretes. Sumitur. 1. pro eo, quod verba sonant, & sic dicitur Papinianum respondisse, *in hanc sententiam*. 2. pro luminibus orationis alicquod axioma, vel acroama continentibus, quale illud: *obsequium amicos, veritas odium parit*. 3. pro opinione, seu potius pro animi credulitate, quam quis opinione sua concipit: ut M. Portius Cato rogatus olim *sententiam*, oratione longâ occupavit tempus. 4. minus propriè pro deportatione, vel excommunicatione, vel interdicto: sed hæc potius rationem pœnæ, quàm sententiæ rigorosæ continent. 5. pro juridica, seu judiciali pronuntiatione, quæ oritur tum ex lege, vel ex bono, & æquo, tum ex Judice, quando hic sancit, vel declarat, quid jus velit, secundum facti qualitatem: & dici potest quodcumquè judicantis præceptum non naturæ, non juri, non bonis moribus contrarium. Ex hoc deducitur *sententiam judicalem* pressè sumptam ex L. 1. ff. de re judicat. sic definiti: *quod sit pronuntiatio Judicis finem controversæ imponens, absolutione, vel condemnatione*; id verò, super quo pronuntiatum est, dici *rem judicatam*; hinc sententia, juridicè accepta, est applicatio juris ad particulare factum, & hæc sententia aliquando dicitur *sententia juris*. Quod contingit, quando aliquis superior, qui habet auctoritatem condendi leges, facit alicquod statutum super aliqua causa, vel negotio terminando, & facit id in modum perpetuæ constitutionis, & determinando factum simul constituit jus. Dicitur etiam sententia hominis; & hoc est, quod communiter contingit, quando Judex judicat inter partes determinando, & definiendo causam in odium alicujus mali perpetrati, & hæc solet à multis sic definiti: Est definitio judicialis, controversiis finem imponens, à competenti Judice pronuntiata, continensque absolutionem, vel

condemnationem, L. 1. ff. de sent. & re judic. & c. 2. eod.

Not. 2. quod sententia judicialis alia sit *definitiva*; alia *interlocutoria*. *Definitiva* apud Modestinum in L. 1. ff. de re jud. dicitur illa, quæ res judicata finem controversiarum, pronuntiatione Judicis, accipit, quod vel condemnationes, vel absolutione contingit. *Interlocutoria* dicitur, quæ inter principium, & finem causæ, super incidentibus quæstionibus fertur: veluti de exhibendo, vel corrigendo libello, de danda, vel deneganda dilatione, & similibus, c. *significantiibus, de offic. deleg. c. significaverunt, de testib.* Reperitur & alia apud Jurisperitos sententia, quæ dicitur *conventionalis*, & est *amicabilis compositio*; ut, quando Judex convenit aliquem, & monet eum, ne faciat contra conventionem. Denique *Laudum* est sententia arbitratorum super eo, ad quod de contentu partium pronuntiandum fuerunt electi, §. *responsa*; ubi gloss. Instit. de jure nat. gent. & civil. quidquid sit de voce illa, quam aliqui dicunt barbaram. *Interlocutoriam* alii amplius explicantes, dicunt illam, quæ non datur super causa principali, sed super aliis quæstionibus, quæ moventur inter principium, & finem litis, ut de teste aliquo accipiendo, vel de danda aliqua dilatione: & vocatur sic, quia solâ locutione dari potest, sine scripturæ solennitate; nam quamvis debeat redigi in scriptis; non tamen est necessarium, ut de scripto proferatur, c. *significavit, de testibus, c. quod ad consultationem, de sent. & re judic.*

Not. 3. interlocutoriæ etiam annumerari omne præceptum ad causam pertinentens, factum per Judicem, vel per nuntium ejus. Ratio est, quia omnis vox Judicis ad causam faciens, potest dici sententia largè; & sic, cum non determinet causam principalem, dicitur interlocutoria sententia; & in hoc sensu, & propter hanc rationem, excommunicatio dicitur sententia interlocutoria: nam quamvis propriè, & in rigore excommunicatio, nec interdictum, non sit sententia, nec in statutis nōmine sententiæ intelligatur excommunicatio; quia non impedit finem causæ, quod est proprium sententiæ, sed potius quædam pœna, & censure: at largè dicitur sententia interlocutoria; colligitur

gitur ex glossa auth. de hæret. & glossa 2. q. 6. §. *diffinitiva*.

Not. 4. sententiam *definitivam* secundum eosdem dici, quia principalis quaestio, & causa *definitur*, & habet plures conditiones requisitas ad ejus integritatem: scilicet ut sit *condemnatoria*, vel *absolutoria*; quod sit *pura*, quod sit *justa*; quod detur *sedendo*, non *stando*; quod recitetur *in scriptis*, *presentibus partibus*, vel *citatis*; quod proferatur à Judice, qui ipsam dat, nisi Prælati, vel illustris; quod proferatur loco publico, & honesto, & die de quibus infra titulo 27.

181. Not. 5. aliquos esse casus, in quibus non est necessarium, sententiam dari, vel proferri *in scriptis*. 1. Quando causæ sunt breves, præcipue vilium personarum. 2. Quando Episcopus est, qui judicat, & inter clericos suos; item quando Papa per se pronunciat; item quando Præses deposito officio, convenitur de administratione; item quando procedit de consensu partium, & in omnibus casibus, in quibus secundum jus procedit de plano, & sine strepitu judicii: de quibus omnibus consulo summistas V. *sententia*, ex quibus hæc desumpta sunt.

Not. 6. sententiam *justam* dici, quæ datur à competenti Judice ob causam sufficientem, servato ordine juris, ad bonum, & justum finem; *injusta* verò dicitur illa, quæ aliquem defectum patitur: & quia defectus possunt esse plures, & gradus injustitiæ diversi, ideo sententia injusta est triplex: Una, quæ est injusta *injustitiâ extrinsecâ*, & accidentali ad ipsam sententiam, & sic licet injusta, est valida tam in foro exteriori, quam conscientia, ut quando est injusta tantum, ex defectu intentionis judicii, vel alicujus solemnitatis accidentalis, ut quod sententia non feratur sub conditione, ut prius agatur de possessione, quam de proprietate, vel quando non continet expressè absolutionem, vel condemnationem, sed per verba æquipollentia, c. *biduum*, 2. q. 6. & c. *in his*, de verb. signif.

182. Alia verò est sententia injusta, cui aliquid *substantiale*, & *intrinsecum* deficit; at in foro exteriori valet, & quantum ad plura, etiam in foro conscientia obligat, quamdiu non cassatur, & revocatur in judicio. Et ratio, quod va-

Tom. II.

leat, est, quia ejus injustitia quodammodo latet, & error, & defectus, quia non est manifestus, toleratur: & ob hanc causam præsumitur pro ipsa sententia, & valet, v. g. quando causa, in cujus favorem judicavit, erat injusta; quando probatio non erat sufficiens; quando culpa non tam gravem pœnam merebatur: effectus hujus sententiæ, est obligari in foro exteriori, & ob id jus præcipit, ille parere, donec per aliam sententiam revoce- tur. Item in foro conscientia, licet non in omnibus, tamen in pluribus, tenetur homo illi parere, *ad evitandum scandalum*. Et de hac sententia dicitur, quod licet sit injusta: at judex inferior ordinarius, cui committitur à delegato, & etiam minister, cui committitur à Judice, tenentur illam exequi. Hæc habentur in c. *cum inter*, de sent. & re judic. & l. *res judicata*, ff. de regul. jur. & c. 1. 11. q. 3. & habetur ex D. Thoma 2. 2. q. 64. a 6. ubi dicit esse obediendum sententiæ *injustæ*, quando non continet manifestam injustitiam, & intolerabilem errorem; & Soto de sigillo, membr. 3. q. 1. ubi latè contra multos probat, talem sententiam non obligare in conscientia, *nisi ob scandalum*. Circa quod observandum, dupliciter fieri posse, quod aliqua sententia substantialiter injusta sit. 1. Cui aliquid substantiale deficit tam clarè & apertè, ut merito nec in foro conscientia, nec in exteriori aliquid valeat. Et hæc est, quæ dicitur nulla, & est omnis illa, quæ continet manifestam injustitiam, vel intolerabilem errorem, & hæc non indiget appellatione, nec ut ordine judiciario revocetur; sed solum, ut de nullitate constet, ne concipiant scandalum, qui illam noverunt, c. *inter ceteras*, de sent. & re judic. c. *per tuas*, de sent. excom. v. g. quando lata est contra leges & canones, c. 1. de sent. & re jud. c. *ei, qui appellat*, 2. q. 6. Secundo, si quidem illi aliquid substantiale desit, non tamen adeo clarè, ut in foro saltem externo habeatur pro nulla, hoc est, deficiente in aliquo intrinsecè requisito ad valorem justæ ac legitimæ sententiæ quoad substantiam, ut si quidem contineat injustitiam, vel intolerabilem errorem, sed *non manifestum*, his præmissis:

H

Com-

183.

Communjs tenet, quod sententia judicialis, justa tam formaliter, quam materialiter, obliget naturaliter, seu in conscientia; cum habeat vim præcepti, ac legis privatæ à Superiore legitimo latae, leges autem justæ, quantumvis sint juris positivi solum humani, naturaliter obligant, prout constat ex *L. 1. decret. tit. 2. à numer. 233.* secus est, quando est manifestè injusta, substantialiter, atque aded irrita, & nulla; sic enim se perinde (ad effectum obligandi naturaliter) habet, ac si in re non emanasset.

184.

Ejusmodi sententiæ substantialiter, ac manifestè injustæ habentur omnes illæ. 1. quæ continet manifestam injustitiam, vel intolerabilem errorem, & hæ non indigent appellatione; nec, ut ordine judiciali revocentur; sed solum, ut de nullitate constet, ne concipiant scandalum, qui illam noverunt, *c. inter ceteras, de sent. & re judic. c. per tuas, de sent. excom. v. g.* quando lata est contra leges & canones, *c. 1. de sent. & re judic. c. ei, qui appellat. 2. q. 6.* 2. si sententia condemnat hominem propter factum licitum, vel damnat ad faciendum aliquid inhonestum, & impossibile; tunc si hoc exprimitur in ipsa sententia, est nulla; 3. si sententia lata est post appellationem legitimam, de qua constat, est nulla, *c. per tuas, cit.* 4. si non continet condemnationem, vel absolutionem, cum sit definitiva, *c. ei, qui;* 5. quando sententia profertur ab eo, quem constat non esse Judicem, ut si Ordinarius ferat sententiam contra exemplum, *c. nullus, de paroch.* 6. quando Judex est suspensus, excommunicatus, vel interdictus, & simul denunciatus, *c. audivimus, 24. q. 1.* 7. quando datur contra legitima privilegia, *c. quando, de privileg.* 8. quando sententia datur contra ordinem juris, qui est de substantia judicii, & de quo, si deficiat, statutum est in jure, ut sententia sit nulla. Hos casus referunt glossa *c. inter ceteras, de sent. & re jud. & c. per tuas, de sent. excom. & c. statui-mus, eod. in 6. Sylvester V. sententia, q. 5.*

185.

Præter hæc not. 1. per sententiam injustam ex parte Judicis; vel etiam injustam ex parte Rei, nullam induci ob-

ligationem; id, quod ostendimus *lib. 1. decret. à n. 234.* Nam in illo casu deficit in Judice jurisdictio; in Reo, subjectio. Si autem non constet de injustitia, parendum erit sententiæ; cum pro ea stet præsumptio, Judicem ritè functum munere suo, quæ fundatur in communi bono id exigente ad tranquillitatem Reipublicæ.

Not. 2. Reum condemnatum per sententiam, justam quidem secundum allegata, & probata; injustam autem in re, propter quandam falsitatem, quæ in substantia intervenit, in foro quidem externo teneri ad parendum; non autem in foro conscientiæ, si de illius injustitia certus sit; qualiter communiter docetur, jussu sub pœna excommunicationis convivere Bertæ, tanquam Uxorì secundum allegata & probata, licet in re falsa sint; in foro quidem externo debere se accommodare excommunicationi; non in foro conscientiæ, cum procedat ex suppositione, de cujus falsitate Reo constat.

q. V.

De Actore.

Quis ex litigantibus sis Actor? constat ex *dict. à num. 9.* in quibus pari, vel impari jure cum Reo gaudeat? diximus à *numer. 141.* Inter alias quæstiones moveri solet etiam hæc, quid juris sit in casu, quo Actor à Reo plus, aut minus petit, quam sibi debeatur? Sed ad hoc dicemus *tit. 11. de plus petitionibus.* Altera quæstio est, an, & qualiter Actor in eod. libello possit actiones cumulare? Verùm ad hoc dicetur *tit. 3. de libelli oblatione.* Tertia quæstio est, quinam possint, vel non possint agere, aut in jus vocare? Ad hoc responsum est *supr. à numer. 15. & seqq.* ubi diximus de his, qui habent legitimam personam standi in judicio tam activè, quam passivè. Et quamvis pœnæ temerè litigantium communes sint tam Reo, quam Actori, de illis tamen hoc loco dicendum videtur.

Universalis, pœna temerè litigantium est, quod

quod condemnentur in expensas, & damna, Adversario secuta secundum allegationem ab ipso factam, salvo moderamine à Judice faciendo. Constat hoc ex variis utriusque juris textibus. Satis clarè id habetur L. 13. §. 2. C. de Judic. ibi: si nihil sufficiens actitatum est, ex quo possit de termino causæ certa fieri conjectura, volumus non solum partem fugientem (id est, Reum) ab observatione judicii relaxare, sed etiam in omnes expensas, qua consueto modo circa lites expendantur, eum (actorem) condemnare, verà quantitate earum, Sacramento fugientis, manifestanda, & omni cautela, quam super lite Reus exposuit, reddenda. & L. 15. eod. ibi: Sancimus, omnes Judices, si quando absens persona citata postea apparuerit, non aliter ei judiciale aditum revelare, sed omnem claudere ei judiciorum copiam, nisi prius omnia damna restituat ex hujusmodi vitio adversariis ejus inflata.

188. Pro quorum intelligentia not. 1. Litigatorem esse, qui litem agit, & distingui à Litigioso, quia hic frequens in litibus versatur, & quavis ex causa movet litem, juxta proverbium: *Litem movebit, si vel asinus mordeat canem.* Talis sacris initiati prohibetur dist. 46. Apud Juristas in Novell. de litig. & de cav. §. 1. const. 112. intelligitur Res litigiosa sive mobilis, sive immobilis, seu se ipsam movens, de cujus quidem dominio inter Actorem & Reum movetur quæstio, sive citatione ad magistratum facta, sive precibus Imperatori oblatis, & Judici insinuatis, & per ipsum adversario ejus, qui Principem adiit, cognititis. *Adversarius*, alio nomine *adversa pars* propriè dicitur, qui adversus nos stat, vel litigat in judicio, L. 9. ff. de except. L. ff. de feriis.

Not. 2. ex Actoribus quosdam esse, qui dicuntur *Conciannatores litium*, quorum fecit mentionem Ulpianus in L. ne quiquam, & circa advocatos, ff. de offic. procon. ut interpretatur Alex. Neapolitan. l. 4. genial. diet. c. 15. sunt qui novas lites, simulatis captionibus, & cavil'is improbis, in longum ducere moliebantur; cum eis jure agere non liceret. *Conciannare* enim est rem effectis mendaciis, & omnibus lenociniis perpolire. *Vitilittigator* est quasi sectator litium. *Temerarius*

Tem. II.

litigator quis sit? patebit elucidatâ duplici illa voce: *temerarius* enim apud Martian. L. 1. C. ad 5. c. Turpil. dicitur, non qui plus audet, quàm oportet; sed qui facile, nullo adhibito consilio, credit. Unde *temerè litigare*, & controversiam movere dicebatur Actor, qui nullum litigii titulum, sive justam causam proferre poterat, L. 29. §. 1. ff. de liber. caus.

Not. 3. hoc ipsum (nimirum, absque ulla justa causa litigare, aut se offerre liti) accipi in varia significatione. Nam L. 6. ff. de procur. procurator *offerre se liti* dicitur, qui sine mandato pro Reo comparat, & litigat: id quod tunc dicitur fieri, quando falsus assertit, se habere mandatum, quod non habet: offerre etiam se liti, & petitioni dicitur, qui cum non possideat, judicium nihilominus quasi possessor accipit, L. 27. ff. de re vendic. offerre etiam se defensionem dicitur, qui defensoris loco judicium pro alio accipit, his præmissis:

Dicendum est, ubi causa litis fuit prudenter dubia, & in utramque partem erant motiva, quæ habebant rationabilem apparentiam veri, nec debere, nec posse fieri condemnationem in expensas; sed unumquemque sustinere, hoc est, utrinque compensari expensas, prout habetur ex L. 5. §. 1. C. de fructibus, & litium expens. ibi: *si quis verò conventus bonâ fide solverit, aut Actor lite desiterit, aut etiam Judex non inveniatur eum calumniatorem, sed de re dubia litigantem, hic evitabit impensarum condemnationem.*

Præter hæc not. à nonnullis dubitari, 190. num inter pœnas temerè litigantium veniat *juramentum calumnia*? sed dicendum negativè; cum non tendat directè in odium delicti commissi; sed potiùs, ne committatur; quia hoc juramentum datur, cum quis jura se bona fide, & non animo calumniandi agere, egisse, vel acturum. Unde juxta Sanchez L. 3. Decal. c. 3. n. 7. jurant de calumnia, qui jurant se bona fide, & non animo calumniandi causam movere, vel aliquid proponere, vel respondere, nec in posterum se facturos. Quare hoc juramentum continet.

1. Quod non calumniandi animo litem moveat. 2. Quod bonam causam se habere putet. 3. Quod in tota lite nullam exiget probationem, nisi quam pro veritate putet esse necessariam, 4. Quod nullam

alla-

H 2

allegationem; causâ differendi negotii proponet. 5. Quòd nihil causâ patrociniî Judicibus, vel alicui personæ pro hac causâ promiserit, vel postea daturus sit vel per se, vel per alium. Sed de hoc plura titulo. 7.

191. Not. 2. præter pœnam, de qua n. 187. temerè litigantibus statui etiam pœnam dupli, sed solum in certis casibus, è quibus primus habetur L. 22. §. 10. C. de jure delib. ibi: *illo videlicet observando, & si ex hereditate aliquid heredes surripuerint, vel celaverint, vel amovendum curaverint, postquam fuerint convicti, in duplum hoc restituere, vel hereditatis quantitati computare compellantur*; hoc igitur contingit, si hæres celavit bona defuncti, nec in inventarium retulit. Alter habetur ex decisione legis Aquiliæ, quando agitur nomine damni, injuria, aut legatorum locis venerabilibus relictorum. Alia pœna est, quòd condemnatus incurrat infamiam; sed hujus resolutio plurimum pertinet solum ad Legistas.

192. Not. 3. Actorem dici relatè ad actionem juridicam, quæ nihil aliud est, quàm jus, quod sibi debetur, in judicio persequendi, ut ait Celsus L. 5. §. 1. ff. h. t. per jus intelligitur potestas fundans in altero obligationem præstandi aliquid ex justitia; ly persequendi largè sumi debet pro petitione Actoris, non tantum fundatâ in jure reali, seu in re; sed etiam ad rem, seu personalem; esto talis petitio declinari possit, ac elidi exceptione oppositâ; unde qui agit, actione reali, non agit, ut res sua fiat, sed ne nobis invitis ab alio injustè detineatur; personali, ut quod nondum præstitum est à tali persona, cum tamen jure deberet, præstetur.

193. Not. 4. ex his, quæ tradidi in Tract. Theol. de jure, & just. q. 2. à. 39. *jus in re, & jus ad rem*, non differre ex eo, quòd illud pariat actionem realem; istud personalem; quia nihil differt ab altero per id essentialiter, sine quo potest esse (nihil enim potest esse sine suo essentiali distinctivo) sed *jus ad rem* potest esse sine actione personali; nam habens reale jus arboris, erga fructus nondum existentes habet jus ad rem, etiam tunc, quando nemo lædit tale jus: sed hoc casu non habet actionem personalem; cum hæc supponat læsionem. Nam actio in genere est, jus in judicio peric-

quendi, quod sibi debetur, ut dicitur §. 1. Instit. de actionibus. Hæc portò duplex est: una *personalis*, seu in personam (quam etiam *conditionem* vocant) quâ quis contendit, sibi alterum, dare aut facere oportere; altera *realis*, seu in rem, quâ quis petit rem ut suam. Quia per actionem realem petimus, quod nostrum est; per personalem, quod nostrum non est, sed debetur; & ideo actio realis rem sequitur; per eamquè vendicari potest res, penes quemcunque sit; *personalis* autem non egreditur personam obligatam.

Dices: Jus erga fructus nondum existentes, est jus in re; ergo probatio non subsistit, ant. prob. nam ut aliquid terminet jus in re, sufficit, quòd moraliter existat; sed fructus in re nondum existentes, existunt moraliter in arbore frugifera; ergo Maj. prob. quia ut aliquid terminet jus in re, sufficit, quòd illi sit juridicè unitum; sed ad hoc sufficit moralis existentia, ergo. 2. fructus nondum existentes vendi possunt. 3. Creditor habet jus in re erga gemmam in pignus acceptam pro pecunia mutuata, ut dicitur L. 1. ff. de pignor. sed pecunia solum moraliter est in gemma; ergo datur jus in re, erga rem solum moraliter existentem. 4. actio personalis est jus contra personam, si lædat; ergo datur ante læsionem. Resp. N. ant. nam quod terminat jus in re, vendicari potest repetitione reali; id, quod non convenit rei, quæ non existit antecedenter ad veram & liberam Domini de illa dispositionem. Ad prob. transf. maj. N. min. nam arbor frugifera non est prudens fundamentum judicandi, fructus existere; sed tantum existuros esse; igitur in ea non existunt de presenti, sed de futuro. Dixi transf. maj. nam ejus probationes non evincunt ejus veritatem. Ad 1. enim Resp. C. maj. N. min. nam quod non est de presenti, nequit esse juridicè unitum; quia quod non est, non traditur; ad 2. prob. N. ant. nam eo casu non venditur res non existens, sed jus ad rem, quod est de presenti, & est pretio æstimabile. Ad 3. prob. C. maj. nam jus reale pignoris substituti pecuniæ mutuò acceptæ, est jus reale in pignus, non in pecuniam. Ad 4. Resp. illud esse jus duntaxat conditionatum. Unde solum sequitur, quòd haberet actionem personalem, si læderetur; non autem, quòd habeat.

Not.

195. Not. 5. jus *in re*, & jus *ad rem* ex eo dif-
ferre, quod illud respiciat *rem sibi juridicè*
devinctam, seu unitam; istud, *in unitam*;
sed uniendam; sic Molina tract. 2. D. 2. per
unionem autem juridicam intelligo *rei tra-*
ditionem naturalem, vel *fiatam*, cum titu-
lo sufficienti ad translationem domini.
Sit enim casus: Emis à Titio, numeratâ pe-
cuniâ, equum, & domum; equum tibi
statim tradit; domum spondet se cras tra-
diturum; sed interim alteri vendit, & tra-
dit: in hoc casu habes jus equi *reale*; &
tantum *personale* domus; ac non habes jus
reale equi ex alio capite, quàm quia illum
habes tibi juridicè unitum; & tantum per-
sonale domus, quàm, quia non habes illam
tibi juridicè unitam; sed tantum vi juris ex
contractu emptionis nondum perfectæ
traditione, eam tibi tradi petis, vel satisfieri
exigis, quantum interest, traditam non es-
se; ergo.

196. Dices: hoc, quod est *rem* habere sibi
devinctam, vel est aliud, vel non est aliud,
quàm *habere rem sibi obligatam*? si pri-
mum? per eos terminos relinquatur jus
in re obscurum, & inexplicatum; si secun-
dum? locutio est impropria. Nam obli-
gatio propriè non ca lit, nisi in *rem* intel-
lectualem. Confirm. Dominus habet jus
reale in mancipium; Conductor non habet
jus *reale* in Operarium; & tamen uterquè
habet sibi personam devinctam; ergo jus
reale non est bene expositum. Resp. ex
num. præced. *habere rem sibi devinctam*,
idem esse ac *habere rem sibi traditam* tra-
ditione vel naturali, vel *fiatâ*, intelligendo
per illam rei apprehensionem factam actu
aliquo corporeo, ut manu, pede; per istam
aliquid ex dispositione legum æquivalens;
nam spectato jure civili regulariter tradi-
tionibus, non nudis pactis, dominia rerum
transferuntur; L. *traditionibus*, C. *de pa-*
ctis; dixi 1. *spectato jure civili*. Nam Wa-
dingus D. 1. de contract. d. 4. §. 1. n. 11.
probabiliter docet, solo actu interno domi-
nium transferri posse in alterum, stando in
jure naturali. Dixi 2. *regulariter*. Nam
Doctores communiter docent, heredita-
tem, vel fideicommissum, loco pio reli-
ctum, non egere traditione juxta L. *here-*
des, ff. *de acquir. possess.* ita Wadingus
loc. cit. Ad confirm. dico, utrumquè ha-
bere sibi personam devinctam, sed non
eodem modo. Nam ille habet sibi man-

cipium devinctum, & secundum se, &
quoad operas; Conductor verò non ha-
bet sibi devinctum operarium quoad se, &
substantiam; sed tantum quoad ope-
ras.

Not. 6. Actorem, conveniendo Reum, 167.
non posse uti qualibet actione, sed prius di-
spicere debere fundamentum agendi? &
quamvis communiter dicant, *actionem*
realem fundari in jure, quod quis habet *in*
re; *actionem personalem*, in jure, quod quis
habet *ad rem*, exponendo illud, & istud
juxta n. 193. quia tamen hoc fallit juxta
dicta; rectius dicitur, *illam* fundari in ju-
re reali; & *istam* in jure ad rem, juxta utri-
usquè juris expositionem in n. 195. Actio
igitur realis datur adversus eum, qui rem
nostram detinet, etiamsi ex nullo contra-
ctu vel quasi, neque ex ullo delicto, vel
quasi, nobis obligetur, quo sensu dicit Im-
perator talem nullo jure obligari. Dici-
tur autem actio *realis*, quia, dum directè
rem meam peto, juris fictione quasi rem
ipsam videor convenire; nam personam
ex eo præcisè convenio, quia rem meam,
quæ me petentem audire non potest, de-
tinet. Unde hæc actio dicitur ipsi rei in-
herere: adeoque nulla persona conveni-
ri potest, nisi quæ detinet, vel dolo malo
desit detinere; nam dolo pro possessione
habetur, L. 27. §. 1. ff. *de R. J.* ibi: si sine
dolo malo amisit possessionem, absolvendus est.

Econtra personalis actio competit ad-
versus eum, qui obligatus est ad aliquid
dandum, vel faciendum ex contractu, vel
quasi; ex delicto, vel quasi: ideo autem
dicitur *personalis*, non quasi sit aliqua
actio, quæ extra personam vagetur; sed
quia datur tantum adversus illam perso-
nam, quæ nobis uno ex dictis modis obli-
gata est, sive rem, quam petimus, posside-
at, sive non, & sive dolo desierit posside-
re, sive non. Unde adversus tertium, quan-
tum vis possideat rem, quam actione per-
sonali petimus, talis actio non datur; quia
cum illo nullum negotium gestum est ab
Actore, vi cujus ipsum haberet sibi obliga-
tum: v. g. si Petrus detineat equum, quem
tibi Paulus vendidit, sed necdum tradidit,
contra solum Paulum competit actio per-
sonalis.

Porrò utraqùè actio subdividitur in plu-
res species; sic enim actio alia est realis, alia
perfo-

personalis, à termino principaliter intento per petitionem, qui est vel res nostra, vel debita, seu, ut diximus juridicè unitæ, vel non unita, sed unienda; sic ex diversis aliis capitibus denominatione desumptâ variæ sunt actiones, ut actio civilis, criminalis; alia persecutoria rei, alia pœnæ; alia stricti juris, vel bona fidei; persecutio simpli, dupli, &c. de quibus ex professò Legistæ.

§. VI.

De Reo.

198. CUM Reus correlativè dicatur ad Actorem, & c. 10. de Verb. significat. *Reus* nuncupetur à *re*, quæ in iudicio ab Actore petitur; & *quamvis conscius sceleris non sit*, tamen *Reus* dicatur, quam diu in iudicium aliquid petitur: not. etiam *Reum*, alium esse civilem, alium criminalem; alium necessarium, alium voluntarium. Quando enim quis in iudicio convenitur civiliter (juxta dicta n. 4. & seq.) dicitur *civilis*; si criminaliter, juxta n. 5. & 7. *criminalis*; si invitus in iudicio se sistere compellatur, dicitur *reus necessarius*; qui autem non invitus, vel ex necessitate præcepti Judicis, sed sponte, v. g. propter aliquod interesse, vel causa boni publici opponit se Actori in iudicio (qualiter quandoque contingit, cum citantur illi, qui aliquid in tali negotio suâ interesse putant) dicuntur *Rei voluntarii*, modò aliàs habeant legitimam personam standi in iudicio, de quo diximus à n. 19. his præmissis:

199. Questio. 1. est, an, & qualiter obligatus sit Reus respondere ad Judicis interrogationem? Ante resolut. notandum plurimas quæstiones in hac materia à nobis esse resolutas *lib. 5. tit. 1. cum à n. 97. ageremus de Inquisitionibus*. Hinc ad quæstionem, an Reus teneatur se ipsum prode-
re, ad mandata publica, & edicta generalia, respondimus *ibid. n. 103. negativè*, quod accipe cum positis *ibidem* limitationibus. 2. ad quæstionem, an infamatus, & convictus de uno crimine inquiri, ac interrogari possit super aliis occultis? ad quod *ibid. n. 157. à nobis* responsum est; 3. an talis interrogari super sociis occultis, non laborantibus ullâ infamiâ? sed ad hoc

respondimus *ibid. à n. 162. 4. an Reus juridicè interrogatus teneatur aperire veritatem?* ad hoc *ibid. à n. 169. responsum est*; ubi etiam exposuimus à n. 174. quid dicendum, cum interrogatur non juridicè? &c.

Pro ulteriori intelligentia not. 1. *Reum* posse à Judice interrogari *juridicè*, nimirum servato juris ordine quoad essentialia; seu, quod idem est, pro illis circumstantiis, in quibus à lege jus habet interrogandi; & *non juridicè*, nimirum si secus; & *Reum* Judici interroganti *non juridicè*, non teneri respondere, ex priori num. constat; quia eò ipso in talibus circumstantiis *Judex* caret potestate *Reum* obligandi ad respondendum. Quæstio autem est, an *Reus*, si sit negativè, vel positivè dubius, num *Judex* defacto habeat fundatum jus interrogandi, consequenter, an juridicè interroget, teneatur fateri crimen in suum præjudicium? quàm diu ipsi nec judicialiter, nec extrajudicialiter constat de tali jure? Resp. negativè; nam stante tali dubio (cum bonâ fide possideat statum illæ dignitatis, seu bonum nomen, & bona tua) non tenetur se spoliare illis, dum jure compellatur ad ea dimittenda.

Dices: in tali casu stat præsumptio pro *Judice*, quòd non procedat, nisi potestate in jure fundatâ; ergo pronuntiandum potius est pro eo, quòd tunc parere teneatur *Judici*, & respondere ad interrogata. Resp. ex hac ipsa præsumptione pro *Judice* ex una, & ex possessione bonæ fidei ex altera parte, quæ stat pro *Reo*, subnascens dubium speculativum, an parendum sit *Judici*, elidi posse resolutione practicâ, fundatâ in possessione, quæ militat pro *Reo*, quòd quàm diu de possessione bonæ fidei quis non dejicitur certo jure, illâ spoliandus non sit. Hinc complures docent, ut *Reus* possit juridicè interrogari (nimirum cum obligatione respondendi, & fatendi veritatem) requiri, quòd fundamentum interrogandi in ipso processu sit probatum, sic, ut hoc ipsum *Reo* constet; quare non sufficiunt mera indicia non sufficienter probata, seclusâ accusatione, vel denuntiatione publicâ per *Officiales* *Authoritate publicâ* constitutos, de quo pluribus egimus *l. 5. tit. 1.*

Not. 2. tamen communitè tradatur, ut dicatur adesse sufficiens fundamentum *juris*.

juridicè interrogandi, requiri, & sufficere unum ex tribus seqq. 1. si præcessit infamia, & hæc sit plenè probata, vel præcesserint indicia manifesta, vel semiplena probatio: verius tamen esse, ad interrogandum, & obligandum Reum ad fatendum, non sufficere infamiam etiam juridicè probatam, sicut nec nudam accusationem, sed requiri semiplenā probationem, quam tamen sola fama præcedens non facit; sic Cardinalis de Lugo apud Haunold. de jure, & just. tom. 5. tr. 2. n. 315. dixi ad interrogandum Reum; nam, ad interrogandum testem, sufficit infamia etiam non juridicè probata, sicut sufficit unius accusatio. Hinc aliud est, quòd indicia etiam non probata, fundent jus interrogandi super indicis; aliud, quòd dent jus interrogandi super delicto commisso; ad hoc enim requiritur illa esse ritè probata.

203. Quæstio est. 2. an quoties Reus à Juce interrogatur juridicè teneatur Reus fateri veritatem sub gravi obligatione conscientia? Complures absolutè affirmant; alii tamen limitant, ut non procedat, si Reus ex sua fassione subeat sententiam mortis, triremium, jacturæ omnium bonorum, &c. si negando speret evasurum sese illa mala; ratio istorum est, quia lex, vel præceptum humanum tam graviter obligans cum tanto periculo est extra potestatem Legislatoris, seu Judicis humani, nisi hoc exigat incolumitas reipublicæ, proximè ceteroquin periclitantis; secus enim non foret accommodata humanae conditioni; & plura mala induceret tam graviter obligando; quàm prodesset, agrè inducendis hominibus, ut non aliundè convicti, confessione propria sibi causent tam gravia mala; præsertim, cum, ut rectè notat Haunold. cit. n. 318. fatius sit, non esse potestatem sic præcipiendi; sicut nec est potestas præcipiendi, graviterque obligandi, ad comparandum in tali casu, vel ad non fugiendum ex carcere, etiam crimine plenè probato, aut ad dicendum testimonium contra personas sanguine propinquas, vel cū gravi suo damno proprio, quanto minùs ad dicendum testimonium efficacissimum, & plenam probationem faciens contra seipsum.

204. Hinc quando dicitur: repugnat dari jus interrogandi, sine correspondente obli-

gatione respondendi? Quid enim est jus interrogandi aliud, quàm jus exigendi responsum? atqui omnium confessione Judex habet jus interrogandi Reum: ergo negari non potest, in Reo nasci obligationem respondendi cum veritate, alioquin dabitur bellum ex utraque parte justum, nam Reus habebit jus non respondendi. Resp. dupliciter posse considerari jus Judicis, quod habet ad interrogandum; primò relate ad interrogationem præcisè, seu absolutè, nimirum quatenus explicat libertatem munitam favore legis, quo ejus interrogatio redditur immunis à peccato, seu culpa, atque adeò, quo, licet interroget, inculpate agit; 2. relate ad interrogationem relative ad responsonem debitam, nimirum quatenus explicat libertatem munitam favore legis, quo illi constituitur potestas juridica etiam respectivè ad interrogatum, videlicet interrogandi non tantum citra culpam, sed etiam imponendi alteri vinculum conscientia ad dicendam veritatem; quibus positus:

205. Resp. prætermisissis aliorum responsonibus, quæ loco cit. videri possunt apud Haunoldum, dist. ma. repugnat dari jus interrogandi, quod dicitur respectivè ad interrogatum, sine correspondente obligatione respondendi C. ma. jus solum interrogandi absolutè, N. ma. dist. min. atqui ex omnium confessione Judex habet jus interrogandi Reum vel absolutè, vel respectivè, C. semper respectivè N. min. & conseq. Nulla potestas juridica extendit se ad plus, quàm ipsi concessum sit pacto legitimo, vel lege juris constitutiva; hæc enim est mensura juris; atqui nulla datur lex humana, quæ secluso periculo proximo incolumitatis in republica, ulli humano Judici faveat, seu indulgeat per præceptum gravis conscientia ad rem præceptam in certo periculo vitæ, ac tam gravium damnorum; ergo. Et ideò fortè clarius responderi potest: 2. dist. ma. repugnat dari jus interrogandi sine obligatione respondendi, quando tale jus constituitur favore legis taliter gravandi alterum, C. quando tale jus constituitur favore legis solum liberantis interrogantem à culpa, N. ma. esse autem in humano Juce tale in quovis casu, etiam cum periculo vitæ gravandi subditum non est in confesso omnium; cum plures negent, esse

esse in potestate Judicis humani, posse præcipere sub gravi obligatione conscientie, ut quis cum certo periculo vitæ vel valdè gravium damnorum contra se ipsum deponat, nisi aliud exigat incolumitas Reipublicæ, ceteroquin proximè periclitantis.

206. Præter hæc not. à Judice quandoque Reo præscribi terminum, intra quem debeat respondere ad interrogata; quandoque non; & durante termino moraliter perseverare interrogationem; non autem finito; quo posito: 3. quæstio est, an Reus, qui negavit delictum, quando fateri tenebatur, obligatus sit sponte fateri, saltem postea, dum adhuc manet sub custodia Judicis, esto non amplius interrogetur? triplex est sententia; nam aliqui affirmant indefinitè; alii hoc indefinitè dicendum esse negant: alii demum dicunt limitatione, teneri nimirum saltem tunc, quando contra convictum lata est sententia, & Reus ducitur ad executionem.

Resp. distinguendum, an agatur de casu, ubi Reo datus est certus terminus, intra quem respondeat, an nullus? si primum? dicendum non teneri, sponte fateri, si non amplius interrogetur post elapsum terminum, licet adhuc maneat sub custodia Judicis. Nam si sponte teneretur fateri, vel esset ex eo, quod prius, ubi fateri tenebatur, malè negaverit; vel quod detentus in custodia moraliter continuat interrogationem; vel, quod, si postquam semel malè negavit, taciturnitas etiam in executione sententiæ causaret Judici, accusatori, vel testibus notam, quod iniquè processerint? at nihil horum evincit obligationem sponte fatendi; ergo.

Min. prob. & 1. *non primum*; quia licet malè negando, cum fateri teneretur, læserit obedientiam, vi cujus parere debuisset; non læsit tamen justitiam strictè sumptam, quæ sola parit obligationem præstandi, quod contra legem ejus prætermisissimum est; nec enim aliæ virtutes vi suâ habent, quod si læsæ sint, per omissionem actûs debiti, vel positionem operis prohibiti, inducant obligationem ponendi deinde oppositum; *non etiam secundum*; quia gratis assumitur, quod detentio Rei apud Judicem, etiam elapso respondendi termino, sit moraliter interrogationis continuatio; cum terminus appositus, & finitus eam finiat:

non deniquè tertium; quia malis illis sufficienter cautum est per præsumptionem pro justitia processûs, quamdiu non constat contrarium.

Dices: si sententia Judicis tam materialiter, quàm formaliter justa est, Reus non potest ejus executioni licitè resistere per resistantiam corporalem; consequenter habet obligationem taliter non resistendi; ergo etiam habet obligationem dicendi veritatem, pat. conseq. quia Judex habet jus exequendi sententiam, Reumquè plectendi: ergo Reus non habet jus resistendi & impediendi, & æquè parum, quàm alius quicumque resistere possit. Sicut quando Legislator habet jus ferendi legem, injustè illi à subdito resisteretur, & impederetur. Et sicut hæc potestas obligandi est necessaria ad rectam gubernationem, ita & potestas obligandi ad non resistendum: sed hoc idem est in altero casu; ergo. Resp. dato anteced. N. conseq. ad hujus prob. nego paritatem. Nam primò jus, interrogandi alterum *citra peccatum*, stat sine jure alterum obligandi ad dicendam veritatem; non autem jus exequendi poenam contra Reum propter delicta, de quibus est legitime convictus, sine jure non resistendi; aliàs innocenti (nempe Judici, & Ministris justitiæ) corporaliter resistendo irrogaret injuriam; deinde jus puniendi sine potestate, ne Reus corporaliter resistat executioni poenæ, foret inutile; jus autem obligandi ad dicendam veritatem etiam cum vitæ periculo, esto negetur in tali casu humano Judici, non reddit inutile jus interrogandi; adhuc enim haberet hanc utilitatem, quia in casu, quo Reus fateretur, adesset confessio judicialis, quæ facit plenam probationem.

Dixi, dato anteced. quod Reus non possit corporaliter resistere executioni sententiæ tam materialiter, quàm formaliter justæ, ut rectè probat objectio in præced. numero; secus est 1. si esset injusta formaliter, nimirum lata non observato jure, ac his, quæ sunt de substantia talis judicii; sic enim Judex careret jure, ac injustè talem hominem aggrederetur; potestas enim ejus legibus definita est; si autem ponas sententiam justam formaliter, sed materialiter injustam (ut si Reus in re sit innocens, per allegata, & probata repertus nocens) et si plures censeant, in tali casu Reum

207.

208.

208.

Reum executioni non posse resistere sine injuria, etiam armis se defendendo; sunt tamen, qui sentiunt oppositum licite fieri; & ex Theologis Bannez ac Cardin. de Lugo, quos citat & sequitur Haunoldus Tom. 5. de justitia termino 2. n. 329. ratio illorum est, quia furioso, vel ebrio (licet non peccet te aggreddendo cum certo periculo te perimendi) licite resistis etiam armis; quia licet non Theologicè, tamen physicè, est injustus aggressor; sed talis etiam est Judex in dicto casu volens exequi sententiam mortis; ergo. Unde quando dicitur Judicem habere jus exequendi sententiam juridicè latam, verum est *de jure præsumpto*, sed nixio fallà præsumptione; unde quamvis præsumptio illa excuset Judicem à peccato; non fundat tamen obligationem in Reo, qui certò scit se innocentem; ubi potest evadere obligationem conscientie, se subjiçendi pœnæ sine sui defensione.

ARTICULUS VII.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

209. **Q**uæstio. 1. est, an si Clericus coram seculari Judice convictus, vel confessus ut de crimine, exinde puniri debeat ab Episcopo, seu Judice suo ordinario? Resp. negativè ex c. *Esse Clerici*, 4. h. t. cujus ratio redditur in textu ibi: sicut enim sententia à non suo Judice lata non tenet, & ita facta confessio coram ipso. Secus est, si coram Episcopo de criminibus in jure confessi sunt legitimà probatione convicti, dummodò sint talia crimina, propter quæ suspendi debeant, vel deponi, non immeritò suspendendi sunt à suis ordinibus, vel ab altaris ministerio perpetuò removendi.

210. **Q**uæstio est. 2. an Episcopus cum Clericis, qui adulteria, vel minora crimina commisserunt, dispensare possit in pœnis canonicis? Resp. posse post peractam pœnitentiam, per cit. c. *Esse Clerici*, §. *de adulteriis*, ibi: de adulteriis verò, & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare. Hinc cum adulterium mereatur secundum canones privationem beneficiorum; imò etiam depositionem ab ordine clericali; & alia minora

Tom. II.

suspensionem, cum talibus post peractam pœnitentiam Episcopus dispensare poterit, si tales pœnæ non sint ipso jure inflictæ, seu ipso facto incurstæ; nam has inferior tollere, aut in iis dispensare non potest, juxta glos. receptam in c. *cupientes*, 16. §. *cæterum*, v. *Suspensor*, quia inferior tollere non potest legem, aut sententiam Superioris, nisi ipsi commissum sit. Est itaque intelligendum de pœnis legalibus seu canonicis, quæ sunt sententiæ ferendæ, seu cum Judici à lege mandat, ut ob tale crimen pœnam inferat, v. g. depositionis, quod ex rationabili causa consideratis circumstantiis eam possit minuere.

211. **Q**uæstio est. 3. an cum dictis Clericis post peractam pœnitentiam dispensare possit Episcopus in censuris, in irregularitate ex delicto, depositione perpetua, vel temporali? respondet Lagman in cit. c. *Esse Clerici*, quod à censuris Papalibus latae sententiæ Episcopi in utroque foro absolvere possint, eo ipso quod non reserventur, arg. c. *nuper*, 29. & c. *cum illorum*, 32. de sent. excommun. sed in pœnis canonicis, quæ sunt latae sententiæ papalis, Episcopi dispensare non possunt, nisi ipsis concedatur, in c. *cum literis*, n. 3. & c. 2. n. 5. de solution. contra Innocent. ibid. Ex dict. 212. collig. Episcopum cum Clerico, adultero, non modo dispensare posse post peractam pœnitentiam, ut beneficio non privetur, aut non deponatur, sed etiam post latam à se sententiã dispensativè restituere eum posse post vitæ emendationem; sic Abb. in cit. c. *Esse Clerici*, n. 14. & Feling ibid. n. 2. dicentes, quod; tametsi Clericus ob furtum, vel adulterium depositus, infamiam incurrerit, restitutus tamen per consequentiam famæ restituatur, ut officio clericali fungi, & beneficium Ecclesiasticum consequi possit, idque sumitur apertè ex Concilio Trid. sess. 25. de reform. c. 14. ubi loquens de Clericis, qui erant cum mulieribus, de quibus possit haberi suspicio turpis consuetudinis, ita loquitur:

Si à Superioribus moniti, ab iis se non abstinerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum, quorumcunque, & pensionum, ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur. Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia scæmina, perseverantes,

secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti, Sedis Apostolicæ Legatus, arbitrabitur, suspendantur, & si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam vescantur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuè priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem, ab eorum Superioribus, cum in ea causa visum fuerit, dispensandum.

213. Quæstio est. 4. an Episcopus Clericum, in hæresin lapsum primâ vice, post peractam pœnitentiam, dispensatione suâ habilem reddere possit, ut minister in ordine suo prius suscepto, & beneficium Ecclesiasticum obtinere valeat? Si sermo sit de absolutione fori externi ab excommunicatione papali, eam impendi posse post pœnitentiam, & hæresis abjuramentum, saltem in illis regionibus, ubi non sunt Inquisitores hæreticæ pravitatis, prout docet Bonacina *D. 2. q. 5. p. 2. n. 11.* & alii. Nam Episcopi in talibus regionibus ipsi sunt Inquisitores, & in hac materia hæreticæ pravitatis delegati Sedis Apostolicæ; sed Inquisitoribus hæreticæ pravitatis convenit ea potestas ex *c. ut officium, 11. de heret. in 6.* ibi: *Si verò aliquis ex prædictis hæreticâ labe primitus abjuratâ, redire voluerit ad Ecclesie unitatem, ei juxta formam Ecclesie, absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eadem, quod injungi talibus consuevit: proviso solenter, ne simulatâ conversione, redeant fraudulenter, & vos (imò se ipsos) fallentes sub agni specie lupum gerant.*

214. Quæstio est. 5. an taliter absolutus pro foro externo ab excommunicatione Papali: deducta ad forum judiciale, mitti possit deinde ad quemlibet Sacerdotem, ut etiam à peccato hæresis absolvatur? Resp. pro affirmativa referri Farinacium de hæresi *q. 192. §. 4. n. 5.* & Sanchez *l. 2. moral. c. 2. n. 6.* verum Sanchez id non habet *cit. c. 2. n. 6.* constabit tamen resolutio ad præsentem casum in seqq.

215. Ex his igitur concluditur, quando crimen hæresis delatum est ad forum externum Episcopi, seu judiciale, Episcopum cum tali, post abjuratam hæresim, & peractam pœnitentiam posse dispensare in excommunicatione incurfa, saltem ibi, ubi non sunt alii Inquisitores specialiter ad officium inquisitionis contra pravitatem hæreticam deputati, cujus ratio est ex *n. 213.* Dubium est, an etiam absolvere possint ab ipso peccato hæresis immediatè delato ad ipsorum forum internum, seu Sacramentale; si hæresis notoria sit negant omnes, teste Layman *in cit. c. eisdem Clerici, n. 10.* si autem occulta censet, Episcopi id posse per *Trid. sess. 24. de reform. c. 6.* licet ibid. addat, esse valde dubium, an ea facultas Episcopis per *Trid. concessa quoad hæresim etiamnum hodie persistat?* negantibus compluribus, aliis affirmantibus, quos ad longum refert Barbosa *in cit. lacum Trid. c. 6. n. 52.*

216. Sed quidquid sit de hæc controversia, in quantum procedit indefinitè, videtur tamen dicendum cum Layman *cit. n. 10.* Episcopus harum regionum, posse absolvere hæreticos à peccato hæresis, etiam extra forum judiciale seu externum, non tantum quando est occulta; sed etiam notoria. 1. quia id probat usus jam receptus propter frequentiam casuum; quotidie enim tales veniunt, ac recipi debent, ut ab hæresi non judicialiter sed pro conscientie foro absolvantur, quæ cum frequentia adjunctum est impedimentum adeundi Papam ob loci distantiam, & alias causas, ut non tantum æquum, sed necessarium sit, talem absolvendi potestatem Episcopi relinqui; cum alioquin conversio hæreticorum, & Ecclesie augmentum impediretur. 2. Quia Episcopi in his regionibus funguntur munere Inquisitorum, ut diximus; sed probabile saltem est, Inquisitores posse absolvere etiam in & pro foro conscientie in ejusmodi casibus ab hæresi, intellige post abjuratam hæresim, & pœnitentiam. Hanc minorem docet Cardinalis Toletus *l. 4. c. 4. n. 7.* & Sanchez *cit. l. 2. moral. c. 12. n. 3;* ait: *Fateor multos esse Doctores asserentes hanc facultatem* (nimis mirum, quod Inquisitores gaudeant facultate absolvendi hæreticos in solo foro conscientie, quando hæreticus esto occultus

nec eorum ipsis delatus, sed secretò illis confitetur (suam hæresim) habere Inquisitores, & idèò auctoritate compulsus cogor dicere, id esse probabile; postquam n. 1. expressè asseruit: non dubitari de facultate Inquisitorum absolvendi ab hæresi in utroque foro, causâ cognitâ.

217. Ex hac resolutione, retentâ tanquàm probabili, sequitur. 1. hanc facultatem competere cuilibet Inquisitori, etiam singularim sumpto; ita Sanchez cit. n. 3. §. quidsi. Quia constitutio Clementis VII. cum sicut, §. vobis etiam, concedens hanc facultatem Inquisitoribus, non his solis, sed eorum quoque Commissariis eam facultatem concedit: at Commissarii nullum habent Consistorium, sed in quolibet districtu unus est Commissarius; non ergo soli Consistorio, sed cuilibet Inquisitori voluit Pontifex hanc facultatem concedere; aliàs plus concederet Commissariis. Deinde quia hæc est natura fori conscientiæ, ut secretò, & absque testibus, in eo permittitur, exercenda sint. Non ergo hæreticus occultus in foro conscientiæ absolvendus, cogendus est toti Consistorio se præsentare; sed vel maximè, quòd ea facultas concessa videatur in favorem animarum, ne hæretici occulti, ad fidem redeuntes, remedio facilè destituti sint, quippe difficillimum remedium esset, crimen suum occultum coram toto tribunali detegere; ita Sanchez cit. cum Gutierrez, Grassis, & Vivaldo, ibidem relatis.

218. Quæstio est. 6. an Inquisitores, hæc sententiâ probabili retentâ, facultatem absolvendi hæreticum pro foro conscientia, possint delegare? In hac quæstione affirmat Henriquez l. 6. de pen. c. 7. n. 2. loquendo de toto Consistorio; non de singulis seorsim; sed probabilius est, posse quemlibet eorum, & non solum Tribunal. Ratio est ex num. præced. quia cuilibet Inquisitorum ea facultas committitur, non instar privati, cui committitur nudum ministerium; sed annexè ad munus, & officium inquisitionis, atque adèò cum potestate ordinaria; hæc autem est delegabilis, ubi non extat expressa inhibitiō; ergo.

219. Dices: Inquisitores hanc facultatem habent, non ut constituunt tribunal: sed instar privati confessorii: at privatus confessorius nequit absolvendi facultatem, sibi

Tom. II

commissam, delegare; sed N. major. ex num. præced. Hinc etiam negandum est, quòd dicta constitutio Clementis VII. Inquisitoribus solum concedat eam facultatem, ut delegent Commissariis Sancti officii; nam hoc citra fundamentum dicitur; ea enim constitutio non committit eis, ut delegent Commissariis, sed ipsismet Commissariis eam facultatem indulget, & hoc dependenter ab officio inquisitionis; ergo.

220. Quæstio est. 7. an litigans coram Iudice Ecclesiastico teneatur nomen actionis in libello exprimere? Resp. quòd non, ex c. dilecti, 6. h. r. ubi dicitur, quòd Iudex Ecclesiasticus non debeat subtiliter nomen intentatæ actionis requirere; sed simpliciter, ac purè, ipsum factum, & rei veritatem, secundum canones investigare. Quare, si factum, & jus actoris, seu causa petendi in oblato libello appareat, postulandum non est, ut nomen actionis exprimat; esset enim hæc nimia subtilitas, à qua jura canonica abhorrent. Quia tamen interdum ex uno facto aut contractu, plures obligationes, & actiones oriuntur; tum species ejus significanda est, quæ intentatur, ne libellus ineptus fiat, & rejiciatur, si Actoris intentio non appareat. Unde si ex pluribus actionibus non appareat in libello, quam Actor intentet, attendenda est narratio facti, vel vis argumenti, quòd adducitur, deinde conclusio libelli: Si autem nec ex ipsa libelli constitutione, nec ex postea deductis in iudicium appareat, quænam actio sit intentata, & incorrigibiles; eam eligere Iudex debet, quæ Actoris utilissima est.

221. Quæstio est. 8. qualiter procedendum sit contra Clericos criminosos? Resp. ordinem contra istos procedendi, præscribi c. cum non ab homine, 10. h. r. ubi dicitur, quòd Clerici (cujuscunque ordinis) in quibuscunque criminibus deprehensi, & legitime convicti. 1. Sint deponendi à Iudice Ecclesiastico; 2. si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debeat; 3. crescente contumaciâ anathematizari; 4. denique, si in profundum malorum veniens, prædictas pœnas contempserit, per secularem potestatem comprimari.

222. Pro hujus intelligentia not. 1. per Clericos hic intelligi eos tantum, qui gaudent aliquo ordine, saltem minori, vel primâ tonsurâ; loquitur enim de his, qui deponi

possunt; deinde crimina in dicto cap. specificata, esse furtum, homicidium, perjurium; & *quæcunque alia*, ut constat ex textu, ibi: *seu quibuscunque criminibus fuerint deprehensi*; 3. Clericum in illis, aut similibus criminibus deprehensum, ubi de illis convictus fuerit, esse deponendum, hoc est, verbaliter degradandum, ex cit. c. 4. Clericum talem non ipso facto commissi criminis, etiam irregularitatem inducentis, esse depositum; sed deponendum ab ordine, ut patet ex ipso textu; 5. non requiri, ut sit *convictus* de crimine, si sit notorium per evidentiam facti. Ut autem, prout requiritur, dicatur *deprehensus in crimine*, non sufficit, quod sit deprehensus à Ministris laicis, nisi interveniente auctoritate Prælatorum; gloss. *in cit. c. 10. h. t. V. deprehensus*; & Abbas *ibid. à n. 10.* Quando autem in textu ibidem dicitur: quod, si depositus, *incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde contumaciâ crescente, anathematis mucrone feriri*; ibi per excommunicationem intelligitur *major*; hoc enim sonat *excommunicationis* verbum simpliciter prolatum; c. *penult. de sent. excomm.* & excommunicatio ibi sumitur ad discrimen *anathematis*; hoc enim importat excommunicationem, quæ fertur cum solennitate, & ceremoniis ab Ecclesia præscriptis *in c. debent, 106. caus. II. q. 3.*

223.

Not. 5. quod, licet Ecclesia adhibitis omnibus prædictis penis, possit alias adhuc statuere, ut carcerem perpetuum, &c. (quæ videri possunt relatæ apud Pirhing de judiciis, n. 109.) non facile progrediatultra, sed incorrigibilem tradat brachio seculari. Unde, cum in textu dicitur, criminofum anathemate percussum, nec emendatum, si in profundum malorum veniens contempserit (*cum Ecclesia non habeat ultra, quid faciat*) ne possit esse perditio plurimorum, per secularem potestatem comprimendum esse, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur, *ly non habere ultra*, quod faciat, intelligitur *cum spe fructus*, & *emendationis procurandæ per penas canonicas*; Barbosa *in cit. c. 10. n. 7.* Not. 6. prædictum modum procedendi cum Clerico criminofum servandum, si delictum non incipiat à contumaciâ, ut patet ex textu: si autem incipiat à contumaciâ,

1. debere suspendi; 2. excommunicari; 3. deponi: & tandem tradi Curie seculari; gloss. *in cit. c. V. postmodum.*

224.

Quæstio est. 9. an Clericus criminofum nunquam possit tradi brachio seculari non observato prius illo modo procedendi? Resp. doceri ab aliquibus apud Pirhing *h. t. n. 10.* posse, etiam si non sit incorrigibilis, si crimen sit valde enorme, ac qualificatum, v. g. parricidium; contraria tamen sententia negat posse, etiam si crimen sit atrox, & enorme, nisi sit omnino incorrigibilis, præterquam in casibus à jure expressis; sic Decius *in c. est Clerici, 4. h. t.* Farinacius *l. 1. tit. 1. q. 8. n. 81.* Julius Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 36. n. 40.* Fagnanus *in c. cum non ab homine, 10. hic, n. 65.* ubi clarè limitatur ad casum *incorrigibilitatis*; cum textus expressè dicat, per secularem potestatem comprimendum, *cum incorrigibilis in profundum malorum veniens contempserit*; id, quod etiam habetur *in c. Vi fama tua, 35. de sent. excomm.* in cujus summa dicitur: quod Prælatum potest, & debet Clericum subiectum, *incorrigibilem* incarcerare, & Laici citra metum excommunicationis de Prælatorum licentiâ capere possunt Clericos, & ad iudicium ducere.

225.

Quæstio est. 10. qui sint casus in jure expressi, propter quos Clerici actualiter degradati, & brachio seculari tradi possunt, etiam si non sint incorrigibiles? Resp. quod communiter numerentur sequentes: primus est crimen hæresis; c. *excommunicavimus, 13. §. damnati, & c. ad abolendum, 9. §. 1. de heretic.* 2. crimen falsationis literarum Apostolicarum, c. *ad falsariorum, 7. de crimine falsi.* 3. crimen conspirationis, vel insidiarum structarum proprio Episcopo, c. *1. §. seu si quis, 11. q. 2.* Hi tres casus habentur in jure communi. 4. est crimen assassini, c. *1. de homicid. in 6.* idque statim absque depositione, seu sententiâ, nec expectatâ incorrigibilitate; sic Julius Clarus *cit. q. 36. n. 32.* 5. est crimen nefandum contra naturam. Nam propter hoc Clerici, per iudicem Ecclesiasticum degradati, statim Curie seculari tradendi sunt, ex Constitut. Pii V. incip. *Horrendum*, ut tradit Fagnanus *cit. n. 76.* 6. si non ordinatus in presbyterum, missas de facto celebret, vel

vel Sacramentalem confessionem audivisse deprehensus sit, Constitut. Clement. VIII. incip. *Est aliis*. 7. si Clericus moneta falsificet, seu adulteret; Constitut. Vrbani. VIII. incip. *In suprema*, Idibus Novembr. 1627. sed hæc restricta est ad existentes in Italia, ut notat Fagnanus cit. n. 78. Extra hos casus Clerici non subiciuntur potestati seculari, ut ab ipsis judicari, ac puniri possint; cum alijs jure divino sint exempti à jurisdictione & potestate seculari, ut dicitur *c. se Imperator*, dist. 96. junct. gloss. *U. & disertis*: seu *divinâ ordinatione*, ut ait Tridentinum sess. 25. de reform. c. 20. Et ideo solus Papa declarare potest, tanquam Dei Vicarius, in quibus casibus Clerici per Ecclesiam sint degradandi, & tradendi potestati seculari, ut per eam puniantur; Fagnanus in cit. *c. cum non ab homine*, à n. 66.

226. Quæstio est. 11. an Clericus tradendus sit brachio seculari ob crimen etiam non enorme, si Laicus ob illud afficitur morte? respondetur negativè, præsertim, si non sit incorrigibilis; ratio est ex n. 224. & ita tenet Farinacius in *praxi crimin. l. 1. tit. 1. q. 8. n. 80.* Layman de *jurisdic. Ordin. conclus. 75.* ubi dicunt, Clericum, talis criminis reum, deponendum esse, & tradendum ad monasterium ad faciendam poenitentiam, ex *c. Tua*, de poenis, ibi ad illud, quod à nobis tertio requisisti, qualiter Clerici in latrocinis, vel alijs magnis sceleribus deprehensi puniri debeant? respondemus, quod à suis Ordinibus degradati detrudi debeant in arcta Monasteria, ad poenitentiam peragendam. Cæterum hæc poena hodie vix in usu est, cum Monasteriis sit gravis; & ideo ejusmodi Clerici criminosi solent vel ad tritemes damnari, vel ad tempus operi servili addici, vel ut agant poenitentiam, in carceres detrudi; Julius Clarus cit. in *praxi crim. & fin. q. 70. n. 6.*

227. Quæstio est. 12. quid dicendum, si sit crimen valde enorme? Resp. tali casu, licet non sit incorrigibilis, statim posse tradi brachio seculari, doceri ab Abbate in *c. cum non ab homine*, de *Jud. n. 6.* & alijs, qui tamen addunt, eo casu Judicis arbitrio relinquendum, ut omnibus consideratis determinet, an degradatus, sit tradendus? tutiusquè esse, non nisi consulto Pontifice tradendum. Et hoc ait Farinac. cit. n. 81.

Jul. Clarus cit. q. 36. n. 4. esse magis in praxi, usque receptum. Verùm, si crimen illud, licet enorme, non sit unum ex illis, quæ in jure sunt expressa, contraria sententia negans, de qua supra, probabilior est; quod confirmatur ex quadam resolutione Cardinalium, approbata per Urbanum VIII. 1650. 16. Novembr. & relata à Pirhing, de *Judicijs*, n. 115. *¶. porro textus.*

Quæstio est. 13. an verum sit, quod quando per leges civiles propter aliquod crimen imponitur poena mortis naturalis, secundum canones regulariter imponatur poena degradationis realis, & traditionis brachio seculari? Negativam tenet Pirhing cit. n. 112. §. *Sed imprimis*; patet 1. ex *c. Tua*, 6. de poenis, relato *supr.* Nam adulterium jure civili punitur poena mortis, *L. 2. c. de adulter.* Clericus autem adulter non punitur poena mortis, sed solum deponitur, & in Monasterium detrudatur, *c. se quis*, 13. dist. 81. ibi: *si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, post Diaconii gradum acceptum, fuerit fornicatus, aut machatus, deponatur, & ab Ecclesia projectus, inter laicos agat poenitentiam.* Concedit tamen, tunc Clerico posse imponi poenam perpetui carceris, quæ æquiparatur morti, *c. Novimus*, 27. *¶. pro illo*, de verb. signif. ibi: *pro illo vero falsario scelerato, quem ad mandatum nostrum capti fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut in perpetuum carcerem, ad agendam poenitentiam, ipsum includas, pane doloris, & aquâ angustie sustentandum, ut commissâ desceat, & stenda ulterius non committat.*

Quæstio est. 14. cujus sit agnoscere super dubijs, quæ moventur contra privilegia Sedis Apostolicæ? Resp. id defini c. *cum venissent*, 12. h. t. quod solus Papa; non autem, inferior; ortâ enim controversiâ inter Abbates S. Sergii, & Gregorii in hac materia, Innocentius III. rescripsit: *cum super privilegijs Sedis Apostolicæ causa vertitur, nolumus de ipsis per alios judicari.* Ex hoc textu sequitur, quod Privilegia Sedis Apostolicæ solus Papa interpretari possit interpretatione necessaria, seu authentica, quæ vim legis obtinent; quod intellige, quando circa illa movetur dubium, an sint legitime collata? aut impetrata? quousque se extendant?

an revocata? Nam de his dare interpretationem, vel resolutionem Authenticam solus Princeps, seu author legis, aut privilegii; non item, inferior facere potest; nam ejusdem est *interpretari*, cujus est *condere*, uti hic Innocentius docet, & diximus *lib. 5. tit. de privileg.* Cæterum in quaestione, an, cum oritur dubium, (utrum hæc Ecclesia v. g. immediatè subjecta sit Papæ, vel exempta?) Papa sit Judex legitimus? obitare non videtur *L. unica, C. ne quis in propria causa* iudicet; alii e contra opponunt *L. & hoc, 45. ff. de hered. instituend.* volentes, quòd Princeps, seu Superiorem non habens, in propria causa Judex esse possit; ita Decius, Jo. Andreas, gloss. & alii in cit. c. 12. Sed de hoc jam diximus à n. 121. Cæterum juri etiam naturali conformius est, si talis vel arbitris committat, vel iudices ordinarios constituat super causis inter ipsum & subditos, juxta *L. 2. C. si adversus fiscum*, ubi dicitur, quòd in controversia, inter fiscum Cæsaris, & personam privatam ortâ, Procurator Cæsaris unâ cum Præsede Judex esse debeat, quòd & hodie fieri solet, ut ejusmodi lites fiscales cognoscantur, ac terminentur ab iis, qui Camerae seu fisco Principis præsentent, quos proinde justos esse oportet; ut absque personarum acceptione, quòd æquum est, inter Dominum suum, & subditos ejus decernant.

230. *Quaestio est. 15. an sequestrum rectè fieri possit in rebus etiam incorporalibus?* Resp. quòd sic ex *c. Examinata, 15. h. t.* ubi jus patronatus sequestratum fuit de consensu partium, ut sequester (qui erat Vicarius Episcopi Sabinensis) tanquam depositarius interim detineret, atque suo tempore Rectorem, seu beneficiatum præsentaret, ut notat Innocentius hic n. 1. Nec obest, quòd *Sequester Patronus* non sit; quia est loco Patroni, quemadmodum nec is patronus est, sed loco patroni, qui castrum, cui jus patronatus annexum est, hypothecæ nomine possidet, relicta ipsi potestate præsentandi, uti notavit Joan. Andreas, *c. cum Bertoldus, n. 22. de sent. & rejudic.*

231. *Quæres. 16. an Judex Ecclesiasticus in causa Laici contra Clericum admittere possit appellationes?* Resp. de hoc statui in *c. qualiter, 17. h. t.* & definiri, quòd Prælati, & Judices Ecclesiastici laicis conque-

rentibus de clericis justitiam plenè administrare debeant, atque rejicere appellationes frivolas, quas Clerici sæpe interponunt, ne ob justitiæ defectum Clerici ad forum seculare trahantur, quòd fieri omnino non debet. Ex quo sequitur, quòd si Judex uni parti litigantium nimis favore censeatur, ut suspectus recusari possit ab altera parte, ac peti à Superiore, si ille delegatus sit, ut alius in locum ejus subrogetur.

Quaestio est. 17. an Judex datus ad instantiam partis, relicto processu judicario, possit procedere ex mero officio? Casus iste habetur in *c. Exhibita, 19. h. t.* ubi Judices in casu hujus capituli existimantes sibi ex mero officio inquirendum esse de electo, neque judicarium ordinem observare, neque exceptiones contra opposcentes se, seu querulantes admittere volebant, quâ in re graviter errârunt, quia ex formâ rescripti Apostolici colligere poterant, illud emanâsse ad instantiam Archidiaconi & Canonicorum; & idèò processus ab illis formatus fuit reprobatus.

Quaestio est. 18. an instantia judicii, lapsu temporis, perimatur? Resp. etsi jure Cæsareo lis criminalis biennio; civilis, triennio finiatur, numerando hoc tempus à litis contestatione (expectis causis fiscalibus, & his, quæ ad publicas exactiones, & tributa pertinent) ut habetur in *L. prope-randum, 13. C. h. t.* secùs tamen dicendum esse de jure canonico, ut dicitur in *c. Venerabilis, 20. h. t.* ubi, cum Pontifici propositum fuisset ab Archiepiscopo Ravennat: quòd, cum decisio causæ, quæ inter ipsum, & communitatem Cerviæ super jurisdictione civitatis Cerviæ, & quibusdam aliis articulis vertebatur, sit per subterfugia & cavillationes eorum per triennium propagata: dicti Cervien. (asserentes instantiam judicii per decursum trienni perisse) respondere sub ejus examine recuaserunt: consuetis tergiversationibus processum impedièntes dictæ causæ: eidem respondit: volentes, ut ejus causæ decisio ulterius prorogetur, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus exceptione hujusmodi non obstante, in negotio isto procedas juxta traditam tibi formam. Unde in foro Ecclesiastico non secundum dictam legem civilem (nec enim ullibi reperitur canonizata) sed se-

quandū dictum *c. Venerabilis* procedendum erit. Et quamvis, si Clericus contra Laicum in iudicio seculari agat, lapsu temporis instantia iudicii pereat; secus tamen est, si in eodem agat Ecclesia; hæc enim gaudet jure Fisci, ut notat Abbas in *cis. c. 20. n. 12.*

234. Not. autem quod, ubi per lapsum temporis peremptum est iudicium, nascantur sequentes effectus; etiam acta iudicii ordinatoria, videlicet citatio, libelli oblatio, litis contestatio, satisfactio, &c. pereant, & de novo assumi debeant, L. 2. ff. iudicatum solvi. Secundò, quod sententia post lapsum temporis lata ipso jure irrita sit, cum desit causa efficiens, videlicet iudicandi potestas; quippe adempta per legem, nisi novus processus inchoetur, ita gloss. recepta in L. *properandum. 13. C. h. 2.* Tertiò, quod tempus instantiæ consensu partium prorogari non possit secundum gloss. in *cis. L. properandum*; est enim definitum ob publicam utilitatem, ne lites immortales sint; jus autem publicum privatorum pactis tolli non potest, L. *privatorum. C. h. 1.* Quartò, quod peremptio instantiæ locum etiam habeat in causis summariis; quippe, quæ citius expedire debent, item si Judex ex mero officio procedat per inquisitionem, uti hic resolvit Abbas *n. 22. & 23.*

235. Not. 2. dictam regulam Juris Civilis, quod lapsu temporis perimatur iudicium, limitari. 1. ut non procedat, si hoc fiat negligentia Judicis, & Actor institit; hinc Actor dolo carens, contra lapsum temporis per L. *sed et si. 26. §. ut Prætor. ff. ex quibus causis majores, restituendus est*; dixi: *si fiat negligentia Judicis*; quod non contingit, si causa ultra tempus extracta est ob multitudinem causarum, vel iustum aliud impedimentum. Limitatur 2. si culpâ unius ex litigantibus lis ultra tempus extracta est; quâ tunc dabitur actio de dolo, ut alter recuperet, quantum suâ interest per L. *arbitrio, 18. §. dolo, ff. de dolo.* Quamvis autem taliter perempto iudicio Judex super causa principali non amplius procedere possit; poterit tamen in accessoriis, v. g. an revera tempus culpabiliter extractum sit? & veritate cognitâ, Reum condemnet in expensas.

Dices: ergo si in foro Ecclesiastico, lapsu temporis, non perimitur iudicium, po-

terunt in eo foro lites protrahi etiam in complures annos? Resp. N. illatū; huic enim sufficienter cautum est per Tridentinū à nobis relatum supra numerū primum; ubi dicitur, *causas omnes, in prima instantia, coram Ordinariis locorum cognoscendas esse, & saltem intra biennium à die motæ litis terminandas*; alioquin liberum esse partibus, vel parti, Judicem superiorem, aliam competentem, adire, qui causam in eò statu, quo fuerat, assumat, & quamprimum terminari curet. Id verò intellige, dummodò steterit per Judicem ordinarium, quò minùs intra id tempus definierit; quod à fortiori dicendum venit in causis summariis, ut dictum est superius.

236. Quæstio est. 19. an, qui est in possessione, vel quasi possessione alicujus juris, v. g. eligendi, aut præsentandi Clericum ad Ecclesiam vacantem, censeatur velut spoliatus possessione, si in usu illius juris possidenti compedentis impediatur? Resp. quòd sic, ex *c. significaverunt, ult. h. t.* ubi Monasterium, cum non admitteretur ad eligendum Rectorem, sicuti antea eligere solebat, iudicio possessorio egit contra Capellanos coram Iudice eorum, & obtinuit. Simile quid habetur *c. querelam. 24. de elect.* Casus in dict. *v. significaverunt*, is est. Inter Abbatem, & Conventum S. Mariæ de Florentia, atque communitatem alicujus castri, controversia erat super possessione, aut quasi possessione juris eligendi Rectorem dictæ communitatis. In hac causa potestas Florentina pro Monasterio sententiam definitivam protulit; sed cum Abbas cum Conventu Rectorem Capellanis constitueret, cum recipere recusarunt, moventes controversiam *de proprietate juris eligendi*, & ad hanc ipsam litem coram se prosequendam potestas Florentina volebat cogere Abbatem, & Conventum. Cum hæc relata essent Honorio III. is causam delegavit Episcopo Bononiensi, & quibusdam aliis, mandans eis, ut cogant Communitatem ad recipiendum Rectorem à Monasterio ipsis Præfectum; deinde, partibus citatis, audiant, & cognoscant controversiam super jure proprietatis, aut quasi. Verum cum communitas exceptionem dilatoriam proponeret, quòd propter tempus feriarum vindemiarum respondere coram delegatis de jure non teneretur, Syndicus autem Monasterii

sterii replicaret, id malitiosè obijci ad causam protrahendam, Papa his intellectis respondit, exceptione non obstante, in negotio procedendum esse.

237. Ex hac definitione Pontificia deduci possunt plura 1. quòd, qui in possessione eligendi est, cum bona fide eligere possit, & electus recipi debeat, non obstante quòd de jure proprietatis quæstio postea movenda sit, *argum. c. consultationibus*, 19. de jure patronatùs. Deinde, quòd, si Actor, & Reus diversi fori sint, non idèd, quia Actor judicio possessorio egit coram Judice Rei, eo finito respondere cogatur super jure proprietatis apud eundem alienum Judicem, sed debeat conveniri coram suo Judice. Hic est casus hujus capituli, & tradit gloss. recepta hìc *V. super proprietate*. Sic Barbosa in *dict. c. significaverunt*, n. 2. *V.* quæ diximus supr. de hac q. tertio, quòd, Adversarius irrationaliter recusans, ut in feriis messium, aut vindemiarum judicium exerceatur, si cogat publica necessitas, aut periculum in mora sit, cogi possit ad respondendum; quartò, sententiam in possessorio latam, esse definitivam, intellige *de possessorio ordinario*, in quo principaliter agitur de possessione, & quidem servato juris ordine, & processu judiciario; non tamen quando summarie contenditur inter partes lite principali pendente, quis interim debeat in possessione. Sic covarru: *pract. c. 17, n. 2. Gail. l. 1. observ. 6. n. 7.* & colligitur ex *cit. c. ult. ibi: sententiam definitivam promulgavit.*

238. Quæstio est 20. an Delegatus Papæ possit cogere partes, ut personaliter compareant in judicio? Resp. ex *c. Juris*, 1. *h. t. in. 6.* ubi Innocentius IV. ait, *juris esse ambiguum non videtur, Judicem delegatum* (qui à Sede Apostolica mandatum ad hoc non receperit speciale) *subere non posse alterutram partium coram se personaliter in judicio comparere*: nisi causa fuerit criminalis, vel nisi proveritate dicenda, vel pro juramento calumniæ faciendo, vel aliàs juris necessitas partes coram eo exegerit personaliter presentari. Not. autem hoc non procedere, si Papa vel Princeps, non recognoscens Superiorem contrarium exigat, ut notat gloss. in *dict. c. juris, V. speciale*; secus est in causis civilibus, quando vocat Judex inferior; tum enim

regulariter sufficit. quod partes compareant per Procuratorem; qualiter autem id procedat in causis criminalibus? diximus *l. 5. à n. 85.* & quid tenendum quoad mulieres? exposuimus superius à n. 19.

Quæstio est 21. in quibus causis Judex possit procedere simpliciter, & de plano, absque strepitu & figura? Ante respons. not. dicta verba: *simpliciter, de plano, absque strepitu, & figura*, quandoque exprimi simul omnia; interdum autem non omnia, ut notavimus à n. 11, ubi etiam exposuimus, quid per eos terminos, & verba in sermone juridico intelligatur? ex n. 14. diximus, ex quibus causis institui solent judicia sumaria, seu de plano, simpliciter, & sine figura judicii? & quod si discrimen, quando summarie proceditur, ex hac vel illa causa exposita à n. 14. & seq. Ceterum not. quòd etsi in processu summario plures solennitates, aliàs in processu ordinario requisitæ, præmittantur: eætamen, quæ requiruntur jure naturali, & gentium, in hoc processu omittendæ non sint, ut citatio partis. juramentum calumniæ, seu malitiæ, sive dicendi veritatem; faciendæ quoque petitio in exordio litis, idque verbo vel scripto; dandus terminus partibus ad exhibenda omnia necessaria; admittendæ defensiones legitimæ, ac denique sententia ferenda à Judice sedente vel stante, &c. ut dicitur in *Clement. sepe, 2. de verb. signif.*

Jure portò canonico Judex Ecclesiasticus summarie procedere potest 1. in causis electionum, postulationum, vel provisionum, factis vel faciendis; *Clement. dispendiosam, 2. h. t. junct. gloss. V. provisionibus*; 2. in causis dignitatum, personarum, Canoniarum, præbendarum, aut decimarum; *Clem. cit. 3.* in causis matrimoniorum, vel usurarum; & causis ad ea spectantibus, seu annexis, ut notat Pirhing *de Judic. n. 103.* & hæc Clementina locum habet etiam in causis hospitalium, & xenodochiorum, propter eandem rationem. Not. autem 1. quando agitur de titulo beneficii, v. g. de collatione, processum posse esse summarium; quia sic est causa beneficalis; secus, cum de proprietate, ut cum Episcopus vult unire unam Ecclesiam alteri; quia dicit, illam esse suam; *gloss. in Clem. 2. V. beneficium*. Not. 2. causam censeri *decimalem*,